CONSTITUTIONES

FRATRUM MINORUM CAPUCCINORUM

DECRETUM

Edito nuper Codice iuris canonici, ad huius praescripta etiam Constitutiones Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Capuccinorum accommodari debuerunt; quae insuper ex voto Capituli Generalis eiusdem Ordinis, hac data occasione, in nonnullis immutatae sunt. Quibus deinde examini iudicioque Sedis Apostolicae subiectis, haec S. Congregatio de Religiosis, sedulo praemisso studio, easdem recognovit, atque censuit ad ipsum SS.mum Dominum Nostrum Pium Papam XI referendas esse, ut suprema Apostolica Auctoritate iterum munirentur.

Sanctitas porro Sua, in Audientia die 22 mensis Decembris 1925 *E.mo Cardinali praefatae Congregationis Praefecto concessa, ipsas Constitutiones Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Capuccinorum, latino sermone exaratas, quas Summus Pontifex rec. mem. Pius PP. X per Apostolicas Litteras* Vicarium Pastoris aeterni *diei* 8 *Septembris* 1909 *adprobaverat, novo iuri Codicis accommodatas atque, uti dictum est, in nonnullis etiam emendatas et ab ipsa S. Congregatione recognitas, prout in adnexo authentico*

exemplari prostant, Auctoritate Sua Apostolica iterum adprobare et confirmare dignata est; ad hanc novam Constitutionum editionem expresse referens omnes et singulas clausulas quae in praefatis Litteris Apostolicis Decessoris Sui Pii X continentur.

Contrariis non obstantibus quibuscumque etiam speciali mentione dignis.

Datum Romae, ex Aedibus eiusdem S. Congregationis de Religiosis, die, mense et anno, ut supra.

C. CARD. LAURENTI, *Praefectus.*

L. ✠ S.

Vinc. LA PUMA, *Secretarius.*

LITTERAE APOSTOLICAE

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI PII PP. X

QUIBUS CONSTITUTIONES APPROBANTUR ET CONFIRMANTUR

PIUS PP. X.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Vicarium Pastoris aeterni munus, divinae Providentiae nutu, quamquam nullo Nostro merito, gerentes, probe intelligimus Nostrum esse, cum dominicum gregem universum diligenter veritatis gratiaeque nutrire pabulo, tum praecipuo fovere studio eam gregis electam partem, quae in Religiosorum Ordinibus consistit. Iamvero, ut decessoris Nostri Gregorii XVI verbis utamur, « ex multis religiosis familiis, « quae paterni Nostri animi merentur curam, incly- « tus profecto Fratrum Minorum S. Francisci Capuc- « cinorum Ordo postulat atque efflagitat, ut in illius « commodum procurandum ac splendorem tuendum « omnem Nostram operam conferamus; ex quo quam « plurimi semper prodiere viri doctrina, religione, pie- « tate, sanctitate, litteris vel maxime praestantes, et « de Catholica Ecclesia, deque hac Apostolica Sede « tot sane nominibus optime meriti »[1] Equidem hunc « Ordinem, ut alius Decessor illustris ait, dum in

[1] Litt. *In sublimi,* 16 Mart. 1838.

« minoribus essemus, ea qua par erat veneratione « prosequebamur; in hac vero sacrosancti Apostola- « tus specula constituti, maioribus Apostolicae No- « strae caritatis benignitatisque testimoniis complecti « gestimus, considerantes maxime quanta et quam lu- « culenta christianae pietatis et perfectionis exempla, « cum sacrarum doctrinarum splendore atque aeter- « na animarum salute coniuncta ab initio in Catho- « lica Ecclesia ita in dies proferant religiosissimi illius « Ordinis alumni, ut nihil Orthodoxos Acatholicos- « que vicissim vehementius perstringat et ad sanio- « rem mentem reducat, quam celeberrimi Instituti « initia cum austerioris vitae sanctimonia ratio, et « christianarum virtutum semita, prius per eosdem « alumnos quam diutissime trita, deinde aliis exem- « plo et verbo indicata » [1] Huius benevolentiae cari- tatisque Nostrae erga Franciscales Capulatos profi- tendae datur nunc Nobis libentibus occasio, cum Constitutiones Ordinis, iussu Nostro in generalibus comitiis accurate recognitas easque novis Ecclesiae legibus institutisque atque his temporibus congruen- ter emendatas dilectus filius, Pacificus a Seiano, Mi- nister Generalis, Nobis exhibuit. Qua quidem in re id servari iussimus, quod Leo XIII fel. rec. edixe- rat: « Illud est munus pietatis huius maternae (Ec- « clesiae) maxime proprium, accommodare sapienter

[1] Benedict. XIV, litt. *Inclytum,* 2 Mart. 1743.

leges, quoad fieri potest, ad tempora, ad mores, et « in praecipiendo exigendoque summa semper aequi- « tate uti. Atque huiusmodi consuetudine caritatis si- « mul et sapientiae efficitur, ut immutabilitatem do- « ctrinae absolutam et sempiternam cum prudenti di- « sciplinae varietate Ecclesia coniungat ». [1] Confecto igitur quod dilectis filiis mandavimus negotio, Nos et gaudemus Nobis et praeclaro Capulatorum Ordini gratulamur vehementer; praesertim quia hoc opere videmus opportune cautum, ut Assisiensis Patriarchae spiritum Sodales integrum custodiant, maximeque ad *rigidam innocentiam, altas magnificasque virtutes quibus ille ad miraculum eluxerat,* [2] animose ac severe imitandas excitentur: quae quidem huius Franciscani Instituti propria quaedam est et peculiaris laus. Ita Fratres Capulatos non uno successionis iure legitimos S. Francisci heredes et filios, veros Fratres Franciscales, proprii nominis Fratres Minores dicimus et habemus et ab amnibus haberi volumus, quales semper Romani Pontifices ipsos habuerunt. Neque enim quisquam in dubium vocaverit, Capulatorum Familiam usque ab initio fuisse et esse Generalem Ministrum, eumdemque pro suis fratribus successorem S. Francisci legitimum: quandoquidem constat huius Familiae propaginem cum stirpe Sera-

[1] Constit. *Misericors Dei Filius.*
[2] Constit. *Felicitate quadam.*

phici Patris aptam omni tempore connexamque fuisse. Ergo, quod Urbanus VIII affirmavit Minores Capulatos « *ex vera et numquam intermissa S. Francisci li-* « *nea originem trahentes, semper sine aliqua inter-* « *ruptione Seraphicae Regulae continuasse observan-* « *tiam* », [1] hoc sane de iis praedicari hodieque debet. Quare legitimum eorum Instituti disciplinaeque ius liberenter Nos agnoscimus et ratum habemus. Optabile vero est, ut quam diximus esse propriam ipsorum notam, imitationem scilicet severiorem quamdam Francisci Patris, eam perpetuo incorruptam retineant; proptereaque perseverent, cum summa erga Apostolicam hanc Sedem obedientia et fide, summum evangelicae paupertatis ac perfectionis cultum studiumque coniungere. Huc admodum spectare Constitutiones rite recognitas et emendatas Ordinis cernimus; quarum quidem approbationem Nobismet ipsis reservavimus. Itaque nonnullis Venerabilibus Fratribus Nostris, S. R. E. Cardinalibus in consilium adhibitis, Nos, motu proprio et certa scientia, de Apostolicae potestatis plenitudine, harum vi litterarum, Fratrum Minorum S. Francisci Capuccinorum Constitutiones tum latino, tum italico sermone perscriptas cum omnibus et singulis quae continent, in perpetuum approbamus et confirmamus, approbatasque et confirmatas declaramus, praecipientes universis et singulis

[1] Litt. *Salvatoris*, 28 Iun. 1627.

ex ea Familia Fratribus, ut easdem habeant tamquam propria Statuta, quibus in omnibus rebus obtemperare debeant. Praesentes vero litteras et quaecumque in ipsis habentur nullo unquam tempore de subreptionis, aut obreptionis sive intentionis Nostrae vitio, aliove quovis defectu notari vel impugnari posse; sed semper validas et in suo robore fore et esse, atque ab omnibus cuiusvis gradus et praeeminentiae inviolabiliter in iudicio et extra observari debere, decernimus; irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate vel praetextu, scienter vel ignoranter contigerit attentari, declarantes: contrariis non obstantibus quibuscumque etiam speciali mentione dignis; quibus omnibus ex plenitudine potestatis, certa scientia et motu proprio quoad praemissa expresse derogamus et derogatum esse declaramus, mandantes praesertim, ut ea quae de electionibus in his Constitutionibus capite octavo sancita sunt, inviolate serventur in omnibus Ordinis Provinciis, sublatis quibuscumque privilegiis, sive personis sive Provinciis hac super re ab Apostolica Sede concessis.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris die VIII Septembris MCMIX, in festo Nativitatis Deiparae, Pontificatus Nostri anno septimo.

PIUS PP. X.

CONSTITUTIONES
FRATRUM MINORUM CAPUCCINORUM

PROLOGUS.

Ut Ordo noster, veluti Altissimi Filii Dei vinea, melius sese in spirituali Evangelicae ac Seraphicae Regulae observantia conservaret, opportunum duxit Capitulum nostrum Generale, celebratum Romae, in conventu nostro S. Euphemiae, anno Domini 1536, nonnulla ordinare Statuta, quae sepimenti more Ordini inservirent, quibus defendi posset a cunctis hostibus vivi spiritus Domini nostri Iesu Christi, ac procul ab omnibus relaxationibus ferventissimo nostri Patris S. Francisci zelo contrariis, subsistere.

Sed quoniam in Sacro Tridentino Concilio et a Summis Pontificibus nonnulla facta fuerant Decreta, hisce nostris Ordinationibus necessario inserenda, P. Ministro Generali ac PP. Definitoribus placuit, cum unanimi Generalis Capituli consensu, Romae, in conventu nostro S. Bonaventurae, anno 1575, celebrati, haec eadem iterum Statuta, cum additionibus, quas praefata requirebant Decreta, praelo committere.

Simili motivo, ad inserendum scilicet nonnulla alia Decreta, de novo facta, optimum visum est Capitulo Generali in eodem loco celebrato, anno 1608, ea typis tertio demandare.

Et quoniam haec Statuta, una cum aliis quibusdam,

factis a Capitulis Generalibus, Romae anno 1625, 1633 et 1637 celebratis, approbata et confirmata fuerint, per Breve, quod incipit *Sacrosanctum Apostolatus officium*, et cum haec inserenda sint propriis in locis, una cum aliis Decretis pontificiis, inde iudicavit expedire Capitulum Generale, Romae congregatum, in conventu nostro Immaculatae Conceptionis, anno 1643, ut de novo praelo committerentur.

Quum autem ab eo tempore permulta fuerint tum in Capitulis generalibus immutata et adiecta, cum a Romanis Pontificibus innovata, Pio Pp. X. fel. rec. placuit harum Constitutionum recognitionem et emendationem iubere et Capitulo generali Romae ad SS.mam Conceptionem die 18 maii anno 1908 congregato committere; quas Constitutiones recognitas et emendatas, idem Pontifex per Litteras Apostolicas quae incipiunt *Vicarium Pastoris aeterni*, approbavit et confirmavit.

Quia vero, Codice iuris canonici in festo Pentecostes anni 1917 promulgato, S. Cong. de Religiosis die 26 iunii sequentis anni 1918, praescripsit Constitutionum singularum religionum textum, iuxta eiusdem Codicis praescripta, esse emendandum, Capitulum generale Romae ad S. Laurentium Brundusinum die 25 maii anno 1920 celebratum, Commissioni hunc in finem electae, Constitutionum recognitionem et emendationem mandavit; quae postea iudicio Sanctae Sedis delatae, ab eadem fuerunt approbatae ac confirmatae; et sunt sequentes.

IN NOMINE DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI

INCIPIUNT

CONSTITUTIONES

FRATRUM MINORUM CAPUCCINORUM

CAPUT I.

1. Quum evangelica doctrina tota pura, summe perfecta atque divina, nobis de caelo a dulcissimo Dei Filio allata et ab ipsomet verbis ac exemplis praedicata, rectam ad Deum tendendi atque ad religiosae perfectionis apicem perveniendi viam secure edoceat ac demonstret; unde seraphicus Pater Franciscus in exordio et fine Regulae suae expressam de observando Evangelio mentionem facit, atque in suo testamento asserit sibi revelatum fuisse, quod iuxta illius formam teneretur vitam instituere: idcirco hortamur fratres, ut illud iugiter prae mentis oculis habeant, et ad exemplum virginis sanctae Caeciliae in sinu cordis sui deferant. Et ordinatur quod in singulis Locis quotidie, excepta feria sexta, ad prandium lectio sancti Evangelii habeatur; ad coenam vero, loco Evangelii, prima lectio de quovis alio sacrae Scripturae libro sumatur.

2. Quoniam autem sancti Francisci Regula nitidum est speculum, in quo relucet evangelica perfectio, statuitur, ut singulis sextis feriis quovis in Loco, una cum testamento ipsius beati Patris, distincte, debita cum reverentia ac de-

votione legatur, ut menti nostrae impressa melius possit observari.

3. Praeterea, quum seraphici Patris Francisci, imo ipsius Christi Redemptoris nostri voluntas fuerit, ut Regula simpliciter, ad litteram et sine glossa observaretur, prout iampridem eam observarunt ipsi primi nostri Patres, idcirco iterum et in perpetuum privilegiis omnibus et glossis renuntiamus, quae illam relaxant et a pura eius observantia avertunt atque a pia, iusta et sancta mente Christi, qui per sanctum Franciscum loquebatur, divellunt; et solummodo pro unico, vivo et authentico Regulae commentario declarationes accipimus Summorum Pontificum, praesertim Nicolai III et Clementis V, vitamque sanctissimam, doctrinam et exempla ipsius seraphici Patris. Ex hoc tamen interpretationes et declarationes probatorum auctorum observantiae regularis zelo et sana doctrina praestantium reiiciendae minime intelliguntur.

4. Insuper, ut tamquam veri et legitimi filii Patris ac Domini nostri Iesu Christi, per ipsum in sancto Francisco denuo geniti, hereditatis eius copiose participes efficiamur; statuitur, ut ab omnibus ipsius seraphici Patris testamentum observetur, quod ordinavit quando beatae morti proximus, sacris stigmatibus ornatus, plenus fervore et Spiritu Sancto nostram ardentissime exoptabat salutem: et hoc pro glossa et prima expositione Regulae nostrae accipimus: hunc enim in finem ab ipso Patre nostro conscriptum fuit, utque Regula, quam professi sumus, purius perfectiusque observaretur.

5. Ad haec, quia eatenus filii sumus sancti Francisci, quatenus eius vitam et doctrinam imitamur, prout Salvator noster Hebraeis dixit: « Si filii Abrahae estis, opera Abrahae facite »; ideo fratres hortamur, ut quisque pro viribus satagat hunc optimum Patrem imitari tamquam du-

cem, normam et exemplar nobis datum, non tantum in Regula et testamento, verum etiam in omni suo ignito eloquio et opere sancto: legantur idcirco frequenter ipsius vita et scripta, eiusque beatorum sociorum, necnon alii Ordinis libri e quibus mens ipsius seraphici Patris innotescit, uti Chronica et Liber Conformitatum.

6. Quoniam denique sanctus Pater noster, totus in Summi Boni contemplatione defixus divinoque incensus amore, qui Deum intuebatur in omni creatura, speciatim in homine ac multo magis in christiano, sed singulariter in sacerdote, et supra omnes in Summo Pontifice, voluit, iuxta apostolicam doctrinam, ut fratres sui, amore illius qui pro nobis adeo sese humiliavit, divinae maiestati in omni humana creatura subiicerentur: proinde, ad conformandum nos humillimo crucifixo Domino nostro, qui ad serviendum venit factus obediens usque ad asperam mortem crucis, et ad faciendam voluntatem nostri Patris, qui in hunc finem nos appellavit fratres Minores, ut non corde solum nosmetipsos omnibus inferiores existimaremus, verum, et in militante Ecclesia invitati ad nuptias sanctissimi Sponsi Iesu Christi, in ultimo loco sistere studeremus: praecipimus, ut fratres omnimoda humilitate subiaceant Romano Pontifici, omnium christianorum patri, cui tamquam supremo Superiori etiam vi voti obedientiae obedire tenentur; debitam quoque deferant reverentiam omnibus praelatis et sacerdotibus, quinimo omnibus qui nobis viam Dei demonstrant: illud pro comperto habentes, quod quo vilior sit persona cui obeditur propter amorem Domini nostri Iesu Christi, eo gloriosior ac Deo gratior est obedientia.

CAPUT II.

7. Ordinem nostrum virtute potius, perfectione atque spiritu quam numero in dies augeri desiderantes, probe scientes iuxta Veritatem infallibilem, quod « Multi sunt vocati pauci vero electi » et, prout seraphicus Pater morti proximus praedixit, quod nulla res purae observantiae Regulae tam nociva sit quam multitudo fratrum inutilium et sensualium; praecipimus ne Superiores maiores ullum ad novitiatum recipiant, nisi de consilio respectivi Definitorii aut trium vel quatuor graviorum Patrum ab ipso Definitorio eligendorum. Iidem Superiores apprime inquirant utrum admittendi ad novitiatum requisita habeant in iure communi contenta pro eorum valida et licita admissione; ac insuper ea quae sequuntur serventur:

1° Nullo modo sint de fide suspecti, et firmiter credant omnia quae credit et tenet sancta Romana Ecclesia, omnemque errorem et noxiam novitatem abhorreant;

2° Bona fama gaudeant;

3° Sint fervidae voluntatis, compertumque habeatur eos Ordinem ingredi ut Deo unice ac sincere serviant;

4° Nullo gravi, contagioso aut incurabili morbo laborent; sed mente sint et corpore sani, ut observantiam regularem et vitae nostrae austeritatem ferre possint;

5° Admittendi ut clerici sint rite instructi in inferioribus disciplinis, iuxta regionum consuetudines, de quibus examen superaverint, ac insuper futura studia fructuose prosequi posse indubiam spem praeseferant. Recipiendi ut laici, in doctrina christiana sint sufficienter instructi et ad manuales labores apti;

6° Qui annum trigesimum quintum excesserint, ut plurimum, non admittantur, nisi ex tali receptione optimum virtutis exemplum oriatur in populo.

8. Qui ex alia quavis religione ad nostram transire voluerint, nonnisi difficulter, et de Definitorii generalis consensu, servatis de iure servandis, recipiantur, et noviciatum per annum peragant.

9. Quoniam vero Christus sapientissimus magister noster respondens adolescenti, qui aeternae salutis adipiscendae desiderium ostenderat, dixit, quod si suus esse vellet discipulus, prius omnia sua venderet et pauperibus erogaret, quod imitator eius Franciscus non solum in se et aliis quos recipiebat docuit atque opere complevit, verum etiam in Regula servandum praecepit: ideo, ut nosmetipsos Domino et Salvatori nostro Iesu Christo ac seraphici Patris voluntati conformemus, Superiores provinciales, iuxta Regulae praeceptum, candidatis praefata verba sancti Evangelii nota faciant, ita ut, tempore ac modo ab Ecclesia statutis, parato animo sint bonis omnibus renuntiare, sicque maiore mentis quiete et cordis constantia cultui divino sese perpetuo dedicare valeant.

10. Decernitur praeterea, ut clerici admittendi, antequam religiosum habitum induant, per aliquot dies probentur in omnibus quae a fratribus observantur, ut eorum innotescat bonum desiderium, et ipsi maiore lumine, maturitate atque deliberatione tantum opus aggrediantur; idque pariter servetur quoad religiosos, qui, obtenta apostolica facultate, in Ordinem nostrum recepti fuerint. Adspirantes autem ad statum laicorum, antequam ad novitiatum admittantur, postulatum per sex integros menses, ad normam iuris peragant; quod tempus Superior maior prorogare poterit, non tamen ultra aliud semestre. Candidati utriusque classis, antequam novitiatum incipiant, exercitiis spiritualibus vacent per octo saltem integros dies; et, iuxta prudens confessarii iudicium, praemittant generalem anteactae vitae confessionem.

11. Quapropter novitii, ante professionem votorum simplicium, de bonis temporalibus ita disponant, ut eorum proprietate solummodo sibi retenta, administrationem, usum et usumfructum, ad totum tempus quo simplicibus votis adstringentur, cui maluerint, cedant; hanc vero dispositionem professus, iisdem votis perdurantibus, mutare non potest, nisi de licentia Ministri generalis. His tamen non prohibentur novitii et professi votorum simplicium pro suo lubito testamentum condere usque ad professionem solemnem valiturum. Fratres vero quamlibet vitantes occasionem sese ingerendi in haec negotia, maneant sinceri in pace Domini, ne quidem in minimis de his curantes.

12. Caveant quoque Superiores ne aliquid recipiant a novitio vel ab eius parentibus aut curatoribus pro ingressu in religionem vel professione, nihilque exigant pro victu tempore postulatus et novitiatus. Non vero prohibetur aliquid exigere pro vestimentis novitii.

13. Decernitur insuper, ut novitiorum e saeculo venientium et etiam religiosorum vestimenta usque ad diem primae professionis eorumdem serventur: tunc autem indumenta saecularium pauperibus dentur, quae vero religiosorum sunt, eorum Superioribus restituantur.

14. Designetur in qualibet Provincia a Ministro generali eiusque Definitorio, rogante Definitorio provinciali, conventus ad vitam spiritualem idoneus atque in novitiatum ad normam iuris erigendus. Novitiatus ab ea parte conventus, in quo degunt professi, sit, quantum fieri potest, segregatus: et laicis novitiis locus separatus assignetur. Superiores vero in novitiatus conventu ne collocent, nisi religiosos qui sint ad exemplum regularis observantiae studio.

15. Per annum integrum et continuum, atque ad normam iuris, novitiatus peragi debet.

16. Novitiorum institutioni praeficiendus est ut Magister, sacerdos qui sit annos natus quinque saltem ac triginta, decem saltem ab annis a prima professione professus, prudentia, caritate, pietate, religionis observantia conspicuus. Si ob novitiorum numerum vel aliam iustam causam expedire visum fuerit, Magistro novitiorum adiungatur socius, eidem immediate subiectus in iis quae ad novitiatus regimen spectant, annos natus saltem triginta, octo saltem annis a prima professione professus, cum ceteris dotibus necessariis et opportunis. Uterque ab omnibus officiis oneribusque vacare debet, quae novitiorum curam et regimen impedire valeant. Magister novitiorum eiusque socius eligantur a Definitorio provinciali ad triennium, quo durante, ne removeantur sine iusta gravique causa; sed iidem rursus eligi possunt.

17. Ne vero nobis exprobrari possit illud quod Christus sanctissimus scribis dixit ac pharisaeis: « Vae vobis, quia circuitis mare et aridam, ut faciatis unum proselytum, et quum fuerit factus, facitis eum filium gehennae duplo quam vos »; Magistri gravem obligationem, qua tenentur, perpendant, omnem adhibendi diligentiam ut novitii in religiosa disciplina sedulo exerceantur: annus enim novitiatus debet sub disciplina Magistri hoc habere propositum, ut informetur alumni animus studio Regulae et Constitutionum, piis meditationibus assiduaque prece, iis perdiscendis quae ad vota et ad virtutes pertinent, exercitationibus opportunis ad vitiorum semina radicitus exstirpanda, ad compescendos animi motus, ad virtutes acquirendas. Magistri igitur sedulo novitios edoceant non solum religiosas caeremonias et urbanitatis comitatisque usus, verum etiam, et potissimum, quae ad spiritum referuntur, omnino necessaria ad Christi nostrae lucis, viae, veritatis et vitae veram imitationem; quae sint Regulae praecepta, quaeve

consilia et admonitiones, eisdem demonstrando, quaenam fuerit circa Regulae observantiam mens sanctissimi Patris, ita ut, anno expleto, optime noscant novitii quaenam sit in posterum sua ipsorum obligatio. Et ostendant ipsis exemplo ac sermone in quo consistat vita perfecti christiani verique fratris Minoris.

18. Uni Magistro ius est et officium consulendi novitiorum institutioni, ad ipsumque unum novitiatus regimen spectat, ita ut nemini liceat hisce se, quovis colore, immiscere, exceptis Superioribus maioribus et Visitatoribus; ad disciplinam vero conventus quod attinet sive in choro, sive in ecclesia officiorum divinorum tempore, in processionibus, in refectorio, ceterisque communitatis actibus, Magister, perinde ac novitii, Superiori locali est obnoxius.

19. Ut autem novitii cum quiete, pace ac silentio magis spiritu roborentur, sine speciali causa ac Guardiani vel Magistri licentia, nullam habeant communicationem cum professis, neque hi cum novitiis; neve ullus cellas eorum nec ipsi vicissim cellas aliorum ingrediantur.

20. Anno novitiatus ne destinentur novitii concionibus habendis aut audiendis confessionibus aut exterioribus religionis muniis, neve dedita opera studiis vacent litterarum, scientiarum aut artium. Laici autem in ipso conventu eatenus tantum fungi possunt officiis fratrum laicorum (non tamen uti primarii officiales), quatenus ab exercitiis novitiatus pro ipsis constitutis non praepediantur. Ipsi diligenter in christiana doctrina instituantur, speciali collatione ad eos habita semel saltem in hebdomada.

21. Circa novitiorum confessiones, statuitur quod pro eorum numero unus vel plures habeantur ordinarii confessarii in conventu novitiatus commorantes. Magister vero eiusque socius novitiorum confessiones ne audiant, nisi novitii ex gravi et urgenti causa, in casibus particularibus

sponte id petant. Praeter confessarios ordinarios, designentur aliqui confessarii quos novitii in casibus particularibus adire libere possint, nec Magister aegre id se ferre demonstret. Quater saltem in anno detur novitiis confessarius extraordinarius, ad quem omnes accedant saltem benedictionem recepturi.

22. Quum se Domino dicaturus spem indubiam praebere debeat quod ad serviendum Deo aptus sit, et bonum testimonium habere ab iis quorum vitae consuetudine utitur; statuimus, ut a Capitulo locali ter per annum, id est quarto, octavo et decimo novitiatus mense, pro novitiis fiat votatio per secretum scrutinium. Magister vero de novitiorum agendi ratione iam ante votationem certius reddat Capitulum, ac Superiori provinciali relationem exhibeat saltem post unamquamque Capituli votationem. Superior autem provincialis, cui etiam in decursu novitiatus semper facultas est dimittendi novitios quavis iusta de causa, postrema relatione accepta, eos dimittat qui pluralitatem suffragiorum non obtinuerint, quum sub poena nullitatis ad professionem admittere nequeat novitios, quibus haec maioritas defuerit; sed, si dubium supersit de novitii idoneitate, poterit probationis tempus, non tamen ultra sex menses, prorogari; quo tempore transacto, novitius denuo Capitulo proponatur. Nec liceat absque eiusdem Superioris provincialis licentia aliquem novitium dimittere, nisi gravi ex causa, quae dilationem non patiatur.

23. Votationi pro novitiis interesse ac suffragium ferre ii tantum possint, qui sint sollemniter professi ac quatuor mensibus vel circiter cum ipsis commorati; ceteri vero suam sententiam dicant.

24. Prima professio emittenda est in conventu novitiatus ad triennium, vel ad longius tempus, si aetas ad sollemnem professionem requisita longius distet; exacto

vero hoc tempore, religiosi vel emittant sollemnem professionem, vel ad saeculum redeant. Cum vero de eorum vocatione rationabiliter dubitetur, vel ipsi satis probati non fuerint, eorum professio sollemnis a Superiore provinciali, renovata temporaria professione, differri poterit, non tamen ultra triennium. Religiosus autem sollemniter aut a votis simplicibus perpetuis professus, qui ad nos transierit, peracto anno novitiatus, vel admittatur ad professionem sollemnem, vel ad pristinam redeat religionem : ius tamen est Superiori provinciali eum probandi diutius, sed non ultra annum ab expleto novitiatu.

25. Superiores provinciales antequam simpliciter professos ad professionem sollemnem admittant, suffragia consultiva exquirant fratrum illius familiae, in qua praefati religiosi morantur.

26. Professi a votis simplicibus intra sexaginta dies ante professionem sollemnem bonis omnibus, quae actu habent, renuntient, sub conditione secuturae professionis; qua secuta, ea omnia statim fiant, quae necessaria sunt ut renuntiatio etiam iure civili effectum consequatur.

27. Quoniam secundum Ecclesiae Doctores innocentiae baptismali restituuntur, qui professionem debitis emittunt conditionibus; ordinatur quod magna diligentia ad eamdem se praeparent spiritualibus exercitiis, pura confessione, devota communione, ferventique oratione.

28. In admissione tam ad habitum quam ad professionem, praescripta, modi ac ritus in Ordine nostro consueti omnino serventur.

29. Ordinatur insuper, ut documentum emissae professionis tam simplicis quam sollemnis, una cum aetate ceterisque necessariis adiunctis, conficiatur, subscriptum ab ipso professo, ab eo coram quo professio emissa est, necnon a duobus testibus. Hoc vero documentum diligenter

servetur, ut si opus fuerit, in promptu haberi possit: notetur etiam a Superiori provinciali in registro professionum, in archivo asservando. Quod si agatur de professione sollemni, Superior eam excipiens profitentis parochum baptismi de eadem certiorem reddat.

30. Superiores provinciales qui candidatum contra praescripta tum a iure tum a praesentibus Constitutionibus ad novitiatum receperint, vel ad professionem admiserint, pro gravitate culpae, non exclusa officii privatione, a Ministro generali puniantur.

31. Ut vero neo-professi iugum Domini melius ferre assuescant, praescribitur, ut in conventibus collocentur in quibus regularis magis vigeat observantia et vita perfecte communis. Ibi clerici instituantur, donec curriculum studiorum impleverint, sub Guardiani obedientia et disciplina Directoris a Definitorio provinciali ad hoc deputati: et ne tam facile spiritum recenter acquisitum amittant, sed in dies invalescentes firmius altiusque in Iesu Christi amore radices agant, eadem observent ad quae tenentur novitii, quotidie culpam dicant ac disciplinam faciant singulis sextis feriis, nisi ex rationabili causa pro aliqua vice fuerint dispensati: emissa autem professione sollemni, culpam dicant tantum feriis secunda, quarta et sexta. Fratres vero laici eadem observent per sex annos completos, sub obedientia Superioris localis, vel alius Patris ex gravioribus, qui sit eorum Director spiritus.

32. Alunni professi cuiusvis religionis qui de Apostolicae Sedis licentia ad nos transierint, item sacerdotes saeculares habitu nostro induti, seraphico spiritu et Ordinis nostri traditionibus sedulo instituantur: quocirca Superiores eos subiiciant omnibus legibus tam novitiorum, durante novitiatu, quam neo-professorum per triennium a

novitiatu expleto: eorum semper dignitatis sacerdotalis habita ratione.

33. Professus a votis simplicibus, expleto votorum tempore, libere potest religionem deserere; pariter religio ob iustas ac rationabiles causas eumdem potest a renovandis votis simplicibus vel ab emittenda professione sollemni excludere, non tamen ratione infirmitatis, nisi certo probetur eam ante professionem fuisse dolose reticitam aut dissimulatam. Sed etiam, durante tempore professionis simplicis, potest, si dignus non habeatur qui vota sollemnia nuncupet, dimitti a legitimo Superiore ad normam iuris.

34. Quia vero non absque causa Salvator noster austeritatem vestitus sancti Ioannis Baptistae commendavit, dicens: « Qui mollibus vestiuntur in domibus regum sunt »; idcirco praecipitur, ut fratres, qui elegerunt abiecti esse in domo Dei, pannis rudioribus ac vilioribus induantur, quos in suis regionibus commode habere poterunt. Et meminerint fratres, quod sacci, quibus sanctus Franciscus nostros resarciri habitus, et funes quibus nos cingi voluit, pretiosis vestibus mundique divitibus non conveniunt.

35. Vestitus noster constet habitu cum caputio atque cingulo, secunda tunica sine caputio, pro iis qui eam iuxta Regulam habere voluerint, et, si opus fuerit, pallio, quo usus est Ordo ab initio.

36. Ut paupertas unigenito Filio Dei tam dilecta et a seraphico Patre nobis in matrem tradita in omnibus, quibus utimur, eluceat; decernitur, ut pallium manuum extremitatem non excedat et caputio careat. Habitus longitudine pedum iuncturam attingat et latitudine triginta circiter decimetra habeat; manicae tantum pateant quantum ad inducenda et deducenda brachia fuerit necessarium, longitudine vero ad mediam manum vel circiter pertingant; caputium sit quadratum, cuiusmodi conspicitur fuisse ea

sancti Francisci et sociorum eius, quae hactenus tamquam reliquiae asservantur, quaeque in veteribus picturis videre licet, et in Libro Conformitatum reperitur scriptum, ita ut habitus noster crucis formam praeseferat, et nos mundo crucifixos mundumque nobis, pro comperto habeamus. Cingulum nostrum sit funis cum simplicibus nodis absque ulla curiositate vel singularitate. Tunicae seu induculae sint rudes ac simplices: item simplicia et pauca sint muccinia et braccae ad necessarium usum.

37. Ut autem in omnibus Ordinis provinciis uniformitas vigeat quoad formam, materiam et colorem habitus; volumus, ut sedulo invigilent Superiores nostri, ne fratres aliis utantur vestibus, et contra eos agant qui sine vera necessitate ac licentia vestibus utuntur lineis, vel similibus, statui nostro haud convenientibus. Fratres vero habitum deferant tum intra tum extra conventum, nisi gravis causa excuset, iudicio Superioris maioris, aut, urgente necessitate, etiam localis. Illicitum est habitum nostrum saecularibus concedere, nisi iis qui, in casu mortis, peculiari devotione eodem induti voluerint sepeliri; idque raro, pietatis ac conditionis defuncti habita ratione.

38. In quovis nostro Loco sit cella in qua ab aliquo fratre, ad id deputato, panni communitatis asserventur mundi ac resarciti pro fratrum necessitatibus, qui postquam iis usi fuerint, mundatos humili cum gratiarum actione restituant.

39. Deferatur uniformiter ex cingulo pendens corona beatae Mariae Virginis, sitque ex ligno confecta, cum cruce pariter lignea. Item, iuxta evangelicam doctrinam et antiquorum Patrum exemplum, gestari possunt sandalia, quum non sint calceamentum, simplicia tamen, vilia, paupertati conformia et absque ulla curiositate. Nec deferant fratres pileum vel galerum: sacerdotibus tamen, qui studiorum

curriculum absolverint, usus permittitur modesti pileoli, iuxta provinciarum consuetudinem, non vero clericis et laicis, nisi ex necessitate et Superioris provincialis licentia.

40. Tonsura saltem semel in mense fiat; et ad exemplum Christi, seraphici Patris Francisci, aliorum Sanctorum et priscorum Patrum nostrorum deferatur barba, quum sit res virilis, naturalis et austera: neque ea, saecularium more, nutriatur.

41. Ut lectulus noster similis sit illi in quo exspiravit qui dixit: « Vulpes foveas habent et volucres caeli nidos, Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet », utque ad orandum vigilantiores magisque solliciti simus, et seraphico Patri denique conformemur, cui pro lectulo saepe fuit nuda humus, imo Christo sanctissimo, qui in aspero deserto eodem lecto usus est: statuitur, ut fratres, habitu induti, super stramineo sacco, cui superpositum sit rude linteum, dormiant. Verum, si robustiores maioris austeritatis studio super storea tantum vel super nudis tabulis cubare velint, id faciant de licentia Superiorum, dummodo eis obfuturum non videatur.

42. Ne quisquam fratrum, daemone instigante, solitudinem et quietem nostram odio habens, ad carnes Aegypti, unde iam ereptus fuerat, revertatur; omnes prae oculis habeant quae in secundo Regulae capite habentur, quod scilicet, nullo modo fratribus liceat, facta professione, de hac religione exire. Qui vero apostasiae crimen commiserint, sciant se ipso iure in excommunicationem Superiori maiori reservatam incurrisse, ab actibus legitimis ecclesiasticis esse exclusos, et privilegiis omnibus Ordinis privatos.

43. Fugitivus, qui nempe, sine Superiorum licentia, domum religiosam deserit cum animo ad religionem redeundi, ipso facto incurrit in privationem officii si quod in

Ordine habeat, et, si sit in sacris, in suspensionem Superiori provinciali reservatam. In fratrem etiam fugitivum qui non est in sacris, vi harum Constitutionum, poena interdicti decernitur ipso facto incurrenda, item Superiori provinciali reservata.

44. Apostatae et fugitivi debent sollicite a Superioribus requiri, et si vera poenitentia acti ad religionem redeant, a Superioribus suscipi debent atque absolvi ad normam iuris; eisque poenae, quae in Ordine sunt in usu, imponantur, ratione habita gravitatis culpae, diuturnitatis absentiae, delictorum extra claustrum commissorum atque scandali dati. Apostatae insuper, ipso iure, perpetuo carent voce activa et passiva.

45. Fratribus non liceat e Loco suo discedere, etiam praetextu Superiores suos adeundi, nisi ab his missi vel vocati fuerint; ideoque decernitur, ut si cui fratrum opus fuerit Superiorem provincialem adire, is per Superiorem localem litteras obedientiales petat; Superior vero provincialis eas nonnisi ex rationabili causa concedat, et quum subditus per epistolam necessitates suas reapse manifestare nequeat. Et qui Superiorem provincialem adierit absque huiusmodi obedientialibus litteris, tamquam fugitivus habeatur. Item tamquam fugitivi censeantur qui sine litteris obedientialibus tam intra quam extra provinciam vagantur.

46. Caveant fratres ne in eam incidant, quam sanctus Bernardus cordis apostasiam appellat, quaeque habetur quum quis a religionis suae spiritu affectuque recedit, et huius mundi spiritui superbiae ac voluptatis paret: sed memores apostolici dicti: « Nolite conformari huic saeculo », quodcumque terrenum sapit et saeculum redolet fugiant.

47. Statutum est, ut frater qui, suo rogatu, relicta propria, alienae provinciae rite incorporatus fuerit, ad

nullam superioritatem vel officium promoveri possit, nec ad quascumque electiones concurrere, nisi post triennium laudabiliter transactum, et ipso facto amittat quemvis titulum ac privilegium, quibus in sua fruebatur provincia, necnon praecedentiam ex iisdem provenientem: at si in mobilitate animi perseverans, in provinciam, ubi professionem emisit, redire voluerit, iisdem privilegiis privatus remaneat, praeterea ad superioritates vel officia non promoveatur, nisi de licentia Definitorii generalis.

48. Si quis fratrum exclaustratus ad Ordinem reversus fuerit, donec aliter a Ministro generali cum suo Definitorio statuatur, inhabilis sit ad quamlibet superioritatem vel officium, etiam Discreti sive Loci sive Capituli, et quamcumque praecedentiam, etiam antianitatis, amittat iuxta tempus, quo extra claustra perstiterit. Saecularizati autem numquam absque apostolico indulto in Ordinem recipiantur, et si recepti fuerint, novitiatum ac professionem instaurent, et locum inter professos obtineant a die novae professionis; insuper ad omnes superioritates et officia inhabiles sint, qua super inhabilitate, solus Minister generalis cum suo Definitorio, totaliter vel in parte, dispensare poterit.

CAPUT III.

49. Quoniam noster seraphicus Pater, totus catholicus, apostolicus ac Divino illuminatus Spiritu, speciali semper reverentia Romanam Ecclesiam, utpote aliarum omnium Ecclesiarum iudicem et matrem, prosequutus est; et quum in Regula iusserit, ut clerici divinum recitarent officium iuxta Ecclesiae ordinem, et in testamento suo prohibuerit ne quovis modo illud variarent: idcirco fratres sub uno

eodemque vexillo spiritualiter militantes et ad eumdem finem vocati, quoad missale, breviarium et calendarium eosdem servent ritus, quibus utitur quosque servat sancta Romana Ecclesia.

50. Curent insuper Superiores, ut diligenter observetur caeremoniale ad usum nostrum concinnatum, ut in Ordine sanctae uniformitatis spiritus eluceat et fratres ipsi uno corde et caeremoniarum unitate Deum laudent et glorificent, exemplaque virtutis mundo exhibeant.

51. Clerici ac sacerdotes legitime non impediti vel dispensati, primo campanae pulsu audito, ad officium divinum in chorum prompte conveniant, ut suam Domino mentem praeparent, ibique devotione, modestia, mortificatione, quiete ac silentio se in conspectu Dei esse recogitent, angelico divinas laudes persolvendi munere perfuncturi. Et qui aliqua necessitate praepeditus choro interesse nequit, antea Superioris benedictionem, et si minime possit, postea veniam petat. Si quis vero habitualiter officio divino in choro contra obedientiam se subtrahat, aut illud aliquoties non recitasse convictus fuerit, voce activa et passiva ad biennium privetur, et gravius etiam puniatur iudicis arbitratu.

52. Officium divinum omni devotione, debita attentione, spiritus consonantia, gravitate, pausis rite servatis, dicatur, voce nec nimis elata nec nimis demissa, sed mediocri et unisona; et fratres corde potius quam ore Deo psallere contendant, ne ipsis exprobrari queat, quod Salvator noster dulcissimus hebraeis dixit: « Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me ». Matutinum cum Laudibus media nocte recitetur, ut regium Psalten, Sanctos ac priscos Ordinis Patres imitati, diu noctuque in conventibus nostris Dominum laudemus. Et in choro non addatur aliud officium.

53. Fratres laici in chorum conveniant initio Vesperarum, Completorii et Matutini, ad *Te Deum laudamus*, vel ad *Miserere;* et communi praeparatione facta et inchoato officio, in ecclesiam, si commode fieri potest, secedant, ut *Pater noster* recitent, quae ipsis imponit Regula. Cunctis diebus festis ad Vesperas conveniant; dicantque quinque officia defunctorum pro benefactoribus: scilicet, iuxta antiquam consuetudinem, primum circa festum sanctae Mariae Magdalenae, secundum circa festum sancti Michaelis, mense septembri, tertium circa festum sancti Patris Francisci, quartum in Adventu, quintum denique in Septuagesima.

54. Quum Sacrum facere sit opus summopere divinum, sacerdotes hortamur, ne in celebrando mentis oculos in favorem, humanam gloriam vel quidpiam temporale dirigant, ad exemplum Iesu Christi summi sacerdotis, qui absque ullo praemio temporali seipsum in dura cruce obtulit; celebrent vero puro, simplici et mundo corde, humillima reverentia, fide et devotione, honorem divinum solum intendentes. Se quoque praeparent, quantum eorum fragilitas patitur; nam quum ille actus augustissimus sit inter omnes, Deum maxime offendit, qui eum irreverenter peragit, et in sacris litteris dicitur: « Maledictus qui facit opus Domini fraudulenter ». Quapropter volumus, ut Superiores eos moneant, qui praepropere et inconsiderate Missam celebrant: et non emendatos puniant.

55. Fratres, qui legitime non sunt impediti, quotidie Missam conventualem audiant; diebus autem festis, clerici et laici ad omnes ad quas poterunt Missas conveniant. Eosque omnes hortamur, ut summa reverentia menteque angelica divinis mysteriis in conspectu Dei assistant, contendentes spiritualiter celebrare et communicare, et una cum sacerdote gratissimum Deo sacrificium offerre: item,

ut in Missis, officiis et orationibus Deum frequenter deprecentur pro omnibus fidelibus tam vivis quam defunctis, quum de hoc seraphicus Pater expressam in Regula mentionem faciat.

56. Clerici et laici frequenter, etiam quotidie, sanctissimum Christi Corpus recipiant, iuxta confessarii iudicium; Superiores vero hunc tam pium ac tam salutarem usum crebris admonitionibus multoque studio promoveant.

57. Hoc vero altissimum ac divinissimum Sacramentum, in quo tam suaviter nobiscum Salvator noster dulcissimus iugiter habitare dignatur, in omnibus ecclesiis nostris, servato praescripto legum liturgicarum, in loco mundissimo custodiatur et a fratribus frequenter visitetur; in cuius conspectu ipsi ita assistant et orent, ac si in patria caelesti cum Angelis sanctis commorarentur.

58. Hortamur itidem fratres, ut pium Viae Crucis exercitium, praesertim Quadragesimae tempore, frequentent, et prima cuiuslibet mensis sexta feria tam privatim quam publice sui consecrationem sanctissimo Cordi Iesu renovent, cui singulis annis in festo Epiphaniae Domini universus Ordo erit consecrandus. Prosequantur insuper peculiari devotione beatam Virginem Mariam, dulcissimam Matrem nostram, sub Immaculatae Conceptionis mysterio; quapropter in sabbato, permittente ritu, sacerdotes privilegio nobis concesso Missam votivam eiusdem Immaculatae Conceptionis celebrandi utantur: omnes vero Deiparam Virginem mariano rosario colant et unusquisque pro posse, officium parvum eiusdem beatae Virginis recitare satagat.

59. Quoniam sancta oratio est nostra spiritualis magistra, mater et nutrix omnis verae virtutis, ideo, ne devotionis spiritus, super omnia desiderabilis, in nobis deficiat vel tepescat, quin potius sacro super nostri cordis altari iugiter flagrans, ut seraphicus Pater exoptabat, de

die in diem magis magisque incandescat: statuitur, ut ad hoc duae horae vel duo specialia temporis spatia, unum mane, alterum vespere, iuxta laudabiles consuetudines et horarium uniuscuiusque provinciae, assignentur. Et ante orationem matutinam recitentur Litaniae Sanctorum, ante vespertinam Litaniae beatae Mariae Virginis.

60. Meminerint porro fratres, orare nihil aliud esse, quam corde Deum alloqui; proinde revera non orat, qui oretenus tantum cum Deo loquitur. Quapropter conetur quisque mentalem potius quam vocalem orationem facere, et iuxta Christi optimi magistri doctrinam, aeternum Patrem adorabunt in spiritu et veritate, sedulam curam habentes magis illuminandi mentem affectumque accendendi, quam depromendi verba.

61. Curent Superiores, ut spiritualibus exercitiis, quae singulis annis in conventibus nostris peragenda sunt, omnes religiosi, etiam qui in hospitiis degunt, perfrui possint. Si quis autem hisce exercitiis intervenire nequiverit, Superior provideat ut eadem postea privatim peragat.

62. Quoniam seraphicus Pater totus catholicus voluit, uti in initio et fine Regulae liquido patet, ut fratres speciali prosequerentur reverentia Romanum Pontificem tamquam Iesu Christi Domini nostri in terris Vicarium, et similiter omnes praelatos et sacerdotes; unusquisque fratrum praeter orationes communes, in suis privatis non praetermittat divinam exorare clementiam pro felici statu militantis Ecclesiae et pro Pontifice Maximo, ut ipsi gratiam concedat, qua perspicaciter agnoscere, efficaciter velle et potenter operari ea omnia valeat, quae in honorem et gloriam cedunt divinae maiestatis, in salutem populi christiani, necnon in haereticorum et infidelium conversionem. Idipsum faciant pro omnibus sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, pro Episcopis et praelatis cum

Sede Apostolica communionem habentibus, pro regibus et principibus christianis, pro iis qui supremam populorum auctoritatem tenent, et pro quavis persona, maxime vero pro Superioribus et benefactoribus nostris, quibus peculiari obligatione obstringimur.

63. Defuncto aliquo nostrorum fratrum, ceteri pio caritatis affectu eius animam Deo commendare solliciti sint. Ut autem quoad suffragia tuta habeatur norma, statuitur, ut, adveniente Ministri vel Ex-ministri generalis, item Procuratoris vel Ex-procuratoris generalis obitu, in singulis conventibus, recitato in choro Officio Defunctorum, pro eis Missa sollemnis celebretur, singuli sacerdotes tres Missas applicent, clerici et laici ad sacram synaxim ter accedant, insuper clerici ter Officium Defunctorum et laici tercenties *Pater noster* recitent. Pro defunctis Definitoribus vel Ex-definitoribus generalibus quilibet sacerdos unam applicet Missam, clerici Officium Defunctorum et laici centum *Pater noster* dicant, ac hi omnes semel sacram communionem sumant. In singulis vero provinciis, triplex suffragium Missarum, officiorum, *Pater noster* et sacrarum communionum fiat pro Ministris et Ex-ministris provincialibus. Pro quovis alio fratre defuncto, etiam novitio, singuli sacerdotes unam applicent Missam, tam clerici quam laici sacram communionem accipiant, praeterea clerici recitent Officium Defunctorum et laici centum *Pater noster;* salvo iure pro Capitulo provinciali praedicta suffragia extendendi pro tota provincia. Quolibet autem anno, post diem festi sancti Patris nostri Francisci vel si haec fuerit impedita, prima die libera, utpote tempore aptissimo et ad divinam flectendam misericordiam pro liberatione illarum animarum maxime congruo, celebretur, iuxta Rubricas, in omnibus Ordinis nostri ecclesiis anniversarium

tam Officii quam Missarum pro omnibus nostris fratribus defunctis.

64. Adveniente Romani Pontificis obitu, in omnibus conventibus, recitato in choro Officio Defunctorum, pro eo Missa sollemnis celebretur; quilibet sacerdos unam Missam applicet, clerici et laici sacram communionem recipiant, insuper clerici Officium Defunctorum et laici centies *Pater noster* dicant. In obitu Cardinalis Protectoris Ordinis pro eius anima in quolibet conventu, dicto Officio Defunctorum, celebretur una Missa sollemnis, et laici centum dicant *Pater noster;* clerici atque laici ad sacram synaxim semel accedant.

65. Fratres nostri in decentiori loco tumulentur: proinde, ubi commode fieri potest, aedicula intra conventus septa pro sepultura fratrum construetur cum altari pro celebratione Missae. Ubi vero leges civiles sepulcra in Locis nostris non permittunt, Superiores aream distinctam pro fratribus in coemeterio communi obtinere satagant.

66. Probe scientes silentium esse fidelem concepti spiritus custodiam, et ex sancti Iacobi doctrina, vanam esse eius religionem qui non refraenat linguam suam, praecipimus, ut semper, quantum nostra fert fragilitas, evangelicum servetur silentium, quia, iuxta veritatem infallibilem Iesum Christum, de omni verbo otioso rationem reddituri sumus in die iudicii. Tanta siquidem sunt beneficia nobis divino cultui sacratis a Deo collata, ut non tenuis sit defectus, quod ex ore nostro de mundanis rebus absque rationabili causa verbum excidat.

67. Ad silentium regulare quod attinet, perpetuum sit in ecclesia, choro, sacristia, dormitorio, quibus in locis absque necessitate loqui prohibetur, et si necessarium fuerit, submisse fiat ac breviter. In refectorio vero servetur

silentium a primo mensae signo usque dum gratiae actae fuerint. Generatim quoque in singulis Locis post prandium, hora competenti, recreatione videlicet finita, detur silentii signum et usque ad Vesperas servetur, similiter a sero usque ad mane post Missam conventualem idem silentium omnes observent; si quis vero illud violaverit, in refectorio dicat quinquies *Pater noster* et *Ave Maria,* brachiis in crucis modum extensis. Monentur fratres, ut semper et in omni loco religiose ac submissa voce loqui assuescant, contrarium quippe in religiosis viris est vitium valde deforme.

68. Contra spiritum ne corpus recalcitret sed ei in omnibus morem gerat, et in memoriam asperrimae passionis et praecipue saevissimae flagellationis nostri dulcissimi Salvatoris, decernitur, ut consuetae disciplinae, feriis scilicet secunda, quarta et sexta, statuta hora peragendae, nullo modo omittantur, etiamsi magnae habeantur sollemnitates; in hebdomada vero maiori singulis diebus fiant. Fratres autem sese flagellantes pio cordis affectu suum dulcem Iesum, Dei Filium, columnae alligatum recogitent, particulam dolorum eius experiri in se adnitentes; et dicant interea psalmos *Miserere* ac *De profundis,* antiphonam *Christus factus est pro nobis obediens* cum oratione *Respice,* postea *Salve Regina* cum versiculo, quinque devotas orationes atque *Pater noster* et *Ave Maria.*

69. Quum abstinentia, austeritas et rigor vitae maxime in Sanctis commendentur, nosque ad exemplum Christi Domini nostri et sancti Francisci vitam elegerimus arctam; hortamur fratres, ut observent sanctas Quadragesimas, quas ipse seraphicus Pater noster facere solebat, praesertim *Benedictam* vulgo appellatam. Decernitur insuper, ut fratres feria quarta et sabbato, vel saltem uno ex his diebus, per totum annum a carnibus abstineant. Ieiunium

quoque et abstinentiam iuxta morem servent in pervigiliis seraphici Patris nostri Francisci et Immaculatae Conceptionis beatae Mariae Virginis. Si quis autem ieiunium ecclesiasticum vel regulare aut abstinentiam frangere consueverit, voce activa et passiva privetur ad biennium: et si violationis ratio id exigat, etiam gravius puniri potest.

70. Tempore vero et diebus, quibus fratres, etiam ex Regulae praecepto, ieiunare tenentur, quoad qualitatem et quantitatem ciborum, legibus Ecclesiae vel specialibus Sanctae Sedis indultis concessis pro regionibus ubi degunt, aut probatis locorum consuetudinibus se conformare possunt. Ad mortificationis spiritum tuendum, ad mensam sufficientes tantum et statui nostro consentanei cibi apponantur; cogitentque fratres, quod satisfaciendae necessitati parum sufficit, nil vero explendae sensualitati. In signum autem paupertatis in mensis nostris non fiat usus mapparum, sed singulis fratribus una tantum concedatur mappula.

71. Praeterea ne, iuxta doctrinam sanctissimi nostri Salvatoris, corda nostra graventur crapula et ebrietate, sed mentes nostrae sint sincerae et sensus mortificati: prohibetur, ne ad mensam vinum generosum apponatur, nisi aliquantulum sit acqua dilutum, idque nobis etiam pro voluptuosis deliciis habendum est quum, ut scribit sanctus Hieronymus, suo tempore monachi quamtumvis debiles aquam biberent, atque ex seraphico Doctore sancto Bonaventura, Pater noster Franciscus de aqua, dum sitis aestuaret ardore, vix ad sufficientiam biberet. Quod quidem fratribus dulce videbitur, si recogitent quod Iesu Christo in cruce pendenti et aqua denegata fuerit, porrectumque acetum felle mixtum. Ad mensam nil speciale, nisi infirmis, iter agentibus, senibus vel languidis praebeatur. Si quis a vino abstinere velit, a carne, ovis aliisque

cibis, vel magis solito ieiunare, si Superior id ei non obfuturum atque eumdem pura et sancta intentione agere viderit, hunc minime impediat; quinimo ad prosequendum hortetur, dummodo cum aliis in mensa comedat.

72. Refectionis tempore, post lectionem sacrae Scripturae vel seraphicae Regulae, alius devotus liber legatur ut non tantum corpus, sed et magis spiritus pascatur, magisque excitetur ad imitandum Christum crucifixum. Nullus Superior localis pro suo beneplacito a lectione et silentio dispensare possit, nisi raro et rationabili ex causa: si quis autem contrarium fecerit, a Superiore provinciali corripiatur et puniatur.

73. Caveant Superiores ne quempiam saecularium ad mensam in refectorio admittant, nisi aliquo extraordinario casu id evitari nequeat absque incommodo et gravi admiratione: tunc pro statu nostro cum eo modeste agere satis ducant, iuxta morem legatur in mensa et debitae serventur caeremoniae.

74 Nullus fratrum aliquam refectionem sumere praesumat intra vel extra Loca nostra sine licentia et benedictione Superioris.

75. Quoniam autem qui in mundanis oblectatur festis, facile inquinatur, praecipimus, ut fratres festa non adeant, nisi verbum Dei praedicandi, aut alia spiritualia munia praestandi gratia; memores quod, iuxta Pulum Apostolum, « spectaculum facti sumus mundo, et Angelis et hominibus »; contendant igitur tale de se exemplum praebere, ut per ipsos Deus glorificetur.

76. Superiores prudentem adhibeant severitatem in concedendis litteris obedientialibus ad itinera instituenda, quae facile absque pecuniae sumptu, vitae spiritualis detrimento, saecularium admiratione atque regularis disciplinae turbatione confici nequeunt; et prudenti hac seve-

ritate utantur etiam quum agitur de sacris peregrinationibus. Ut igitur cuncta ordinate procedant, mandamus, ut nullus fratrum iter aliquod arripiat absque necessitate aut sufficienti causa et absque litteris obedientialibus, neque iter ultra locum et tempus concessum extendat: hae autem litterae sigillo respectivi Superioris sint munitae, quapropter quilibet noster Locus, iuxta veterem consuetudinem, suum habeat sigillum.

77. Notum facimus, quod Superior localis suis dumtaxat subditis litteras obedientiales concedere potest limitrophum provinciae Locum adeundi; Superior provincialis suis fratribus eas concedere potest non tantum ad provinciae Loca, sed etiam ad viciniorem Locum provinciae limitrophae, dummodo plus quam centum chilometris non distet; Minister denique generalis quibuslibet et ad qualemcumque provinciam et Locum. Decernimus insuper, ut fratres praefatas litteras obedientiales a Provinciali nonnisi per Superiorem localem, et a Ministro generali nonnisi per respectivum Superiorem provincialem ordinarie petant: qui secus fecerit nullo modo exaudiatur et pro gravitate culpae admoneatur. Omnes vero obedientiales litterae, aliquo extraordinario casu excepto, directe ad respectivos Superiores non vero ad subditos mittantur, quae insuper nullius sint valoris, si intra bimestre a die concessionis, seu a tempore in ipsis statuto, executioni non fuerint demandatae. Fratres autem qui litteras obedientiales adulteraverint, vel finxerint, aut manum vel sigillum Superiorum usurpaverint, detineantur in conventu tempore congruo pro gravitate culpae.

78. Fratres e Loco soli ne exeant sine rationabili causa, praesertim si agatur tantummodo de modesta recreatione quae religiosis concedi solet, sed, ad exemplum discipulorum sanctissimi nostri Salvatoris, cum socio pergant.

Nec in via se ab invicem dissocient neque verbis contendant, sed alter alteri cum omni caritate et humilitate, Christi benedicti exemplo, spiritualiter obedire et famulari satagat, considerantes seipsos fratres in Christo; et, si opus fuerit, se ad invicem fraterne corrigant; quod si emendatio non sequatur, mutuos defectus Superioribus suis dicant.

79. Omnes autem fratres ob quamlibet causam exeuntes praeter licentiam, tam egrediendo quam redeundo genibus flexis a Superiore benedictionem petant, atque superfluos vanosque discursus evitare contendant. Quaestuarii praesertim, qui vi muneris sui propius cum saecularibus agere debent, visitationes inutiles et prolixas conversationes cum eis non instituant, neque e Loco egredi permittantur, nisi necessitas vel officium postulet, quo in casu talis sit eorum agendi et loquendi modus, ut omnibus bonum exemplum praebentes sibi ac religioni pium saecularium affectum concilient.

80. Quia vero seraphicus Pater noster Franciscus in suo testamento ait, sibi a Domino revelatum fuisse, quod, ad exemplum Christi, salutando dicere deberemus: « Dominus det tibi pacem »; ideo statuitur, ut fratres hac evangelica, vel alia simili utantur religiosa et pia salutatione.

81. Quum veri fratres Minores ab optimo suo caelesti misericordiarum Patre fide viva pendere debeant, mandatur, ut iter agentes, ex Christi consilio, ciborum provisionem, excepto necessitatis casu, secum non deferant, praesertim si inter gentes domesticas, familiares et devotas incedant et a loco ad proximum locum, omnem curam suam iactantes in Deum, qui non solum animalia pascit, sed et illos qui iugiter eum offendunt.

82. Decernitur insuper, quod in civitatibus et oppidis, quibus propinqua sunt Loca nostra, fratres absque gravi

necessitate extra ipsa non consistant pernoctandi vel comedendi causa; et ubi sunt Loca nostra, nemo ullum negotium agere audeat, nisi prius Superiorem adierit, neque sine eiusdem licentia difficulter concedenda ad manducandum vel pernoctandum in saecularium domibus, licet consanguinei sint, quispiam ire praesumat; idem servetur quando quis e Loco discedit: secus vero agentes moneantur ac iuxta culpae gravitatem puniantur. Quum fratres ad Loca nostra pervenerint, ut aeterni Patris filii, ecclesiam prius visitent, ibique facta reverentia et oratione, Superiorem adeant, eique litteras obedientiales exhibeant.

83. Et quoniam nonnulli ex priscis patriarchis propter hospitalitatem Angelos recipere meruerunt, statuitur, ut in unoquoque Loco frater designetur, qui diligentem curam habeat advenas excipiendi maxima cum caritate, quibus, si opportunum fuerit, exemplo humilis Filii Dei, pedes lavet, recitando devotum hymnum vel psalmum, sese inutilem nihilominus reputans quantumvis quidquid sibi fuerit possibile fecerit.

84. In Locis nostris nullum ad equitandum animal habeatur; sed maxime fratribus commendamus, ut memores nostrae Regulae praecepti de non equitando et ad exemplum Christi eiusque imitatoris Francisci, itinera pedestres conficiant. Si quis absque manifesta necessitate equitaverit, a Superiore provinciali pro excessus gravitate puniatur. Usus tamen viae ferreae non prohibetur, dummodo ex rationabili causa fiat et cum Superiorum licentia, prout in usu rhedarum, salvo quoad locum spiritu humilitatis: iudicare autem de sufficienti causa ad Superiores pertinet, quorum iudicio fratres tuta conscientia stare possunt.

CAPUT IV.

85. Seraphicus Pater noster Franciscus, iuxta apostolicam doctrinam, pro comperto habens cupiditatem omnium malorum esse radicem, eamque e cordibus filiorum suorum prorsus eradicare volens, in Regula praecepit, ut fratres nullo modo denarios aut pecuniam reciperent per se vel per interpositam personam; quod ut melius in mentibus nostris imprimeret, utpote res, quae ipsi maxime cordi erat, in praefata Regula iterum ac tertio repetiit. Volentes igitur plene atque omnimode Patris nostri, a Spiritu Sancto inspirati, pio desiderio ac intentioni satisfacere, praecipimus, ut fratres nullo modo habeant procuratorem aut aliam quovis nomine personam, quae pro ipsis fratribus vel eorum nomine denarios aut pecuniam teneat vel recipiat contra declarationem Summorum Pontificum Nicolai III et Clementis V. Procurator vero noster sit Iesus Christus Dominus noster, substituta et advocata sit dulcissima Mater eius, Angeli, Sanctique omnes sint amici nostri spirituales.

86. Et quoniam altissima paupertas Christo Filio Dei, humilique servo eius Patri nostro Francisco sponsa exstiterit carissima, recogitent fratres eamdem violari non posse, quin summopere Deo displiceant, et qui eam laedit, vere oculi Dei laedit pupillam. Dicere enim solebat seraphicus Pater, veros fratres suos non pluris pecuniam et denarios quam pulverem existimare debere, quinimo eamdem perinde ac venenosum serpentem effugere atque horrescere. Oh! quoties pius Pater, divino zelo accensus, mente praevidens fore ut permulti, relicta hac evangelica margarita, in recipiendis et procurandis legatis, hereditatibus et supervacaneis eleemosynis relaxarentur, flevit

super eos, dicens, perditioni proximum esse illum fratrem, qui pecuniam pluris quam lutum faceret. Experientia vero unicuique constare potest, fratrem Minorem eo ipso quo sanctam a se expellit paupertatem, in quodlibet aliud vitium exsecrandum et enorme prolabi; contendant igitur fratres, exemplo Christi eiusque Matris dulcissimae terrenarum rerum esse inopes, ut divina gratia, sanctis virtutibus. caelique opibus divites efficiantur; super omnia caveant, ne aliquem infirmum visitantes, directe vel indirecte, ad temporalium quidquam nobis relinquendum inducant: quinimo id ultro facere volentibus, quantum iusto modo possint, obsistant, cogitantes divitias simul et paupertatem possideri non posse. Nec legata recipiant quae sint contra Regulae declarationes a Summis Pontificibus Nicolao III et Clemente V editas; qui secus fecerit, si Superior localis sit, officio privetur, si autem provincialis, a Ministro generali graviter puniatur.

87. Ut melius intelligamus et ob oculos semper habeamus quae seraphicus Pater in quarto Regulae capite nobis prohibet, fratribus in memoriam redigimus, se nullum, sine legitima dispensatione, habere posse denarii vel pecuniae usum, aut contrectationem civilem, ita ut, si eam quis sua auctoritate procuraverit, receperit, in proprios aut aliorum usus converterit, apud se vel penes alias personas retinuerit, graviter praeceptum Regulae violaret, seque proprietatis reum proderet. Quod si, ob temporum circumstantias, Superiores specialibus Sanctae Sedis indultis in hac re aliquando uti contingat, praeter clausulas huiusmodi indultis appositas, praescripta iuris Codicis sive in administrandis, sive in alienandis bonis, sive etiam in contrahendis debitis et obligationibus accurate servent. Iidem Superiores eleemosynas Missarum debitis cautelis excipiant iuxta fratrum necessitates, exacte servando normas hac in re ab Ecclesia praescriptas.

88. Quoad recursum ad amicos spirituales, ut tutius tam pretiosum paupertatis thesaurum servare possimus, praecipitur, ne fratres ullo modo ad eos recurrant, nisi pro rebus necessariis, quae alio modo haberi non possunt, neque sine Superioris licentia, excepto necessitatis casu, quum ipsa res dilationem non patiatur; ita ut in omni recursu habeantur semper et vera necessitas et impetrata licentia.

89. Quoniam vero ad hanc vitam ideo vocati sumus ut nostrum hominem extrinsecum mortificantes, spiritum vivificemus, fratres hortamur, ut assuescant penuriam mundi rerum tolerare ad exemplum Christi, qui cum esset omnium Dominus, pro nobis praeelegit pauper fieri et pati. Caveant itaque fratres a daemonio meridiano, quod frequenter seipsum in angelum lucis transformat. Quod utique fit quum mundus devotionis gratia nos permulcet, terrenas praebendo commoditates, quae maximorum saepe saepius malorum causa in religione fuerunt. Neque de falsi nominis pauperum numero esse velimus, de quibus ait sanctus Bernardus, quod pauperes esse volunt, eo tamen pacto ut nihil eis desit; quin potius recogitent, evangelicam paupertatem eiusque perfectionem in eo principaliter consistere, quod nullo terrenis rebus inhaereamus affectu, et ut parcissime, quasi vi ac necessitate coacti, huius mundi rebus utamur, et ad gloriam Dei benedicti, cui omnia accepta referri debent.

CAPUT V.

90. Considerantes quod noster ultimus finis solus Deus sit, ad quem unusquisque nostrum tendere, aspirare et in eum transformari niti debeat, omnes fratres hortamur, ut omnes cogitationes suas ad hunc finem dirigant, illucque cunctas suas intentiones ac desideria omni amoris impetu

convertant; ut toto corde, mente, anima, viribus ea virtute, actuali quoque, continuo, intenso et puro affectu uniamur optimo Patri nostro.

91. Quoniam vero absque mediis finis obtineri nequit, idcirco quisque studeat ea cuncta reiicere, quae, ut inutilia et perniciosa nos a via salutis abducunt ac praepediunt; eaque tantum eligat quae utilia et ad tendendum in Deum necessaria, cuiusmodi sunt altissima paupertas, castitas immaculata, humilis ac prompta obedientia, ceterae quoque evangelicae virtutes, quas Filius Dei verbo et exemplo in semetipso atque in Sanctis suis nos edocuit.

92. Quum autem perdifficile sit, ut quis mentem suam semper in Deum habeat erectam, ad otium evitandum omnium malorum radicem, et ad bonum exemplum proximo exhibendum; ut mundo minus onerosi simus et in hoc vas electionis sanctum Paulum Apostolum, qui praedicationi laborem manuum iungebat, aliosque permultos Sanctos sequamur; ut insuper monitum laborandi a seraphico Patre nostro in Regula nobis traditum servemus, necnon ut hac in re ad eius voluntatem in testamento clare expressam nos conformemus: decernimus, ut fratres in spiritualibus exercitiis actu non occupati, honesto labori, suaeque conditioni convenienti, sacerdotes nempe sacro ministerio, clerici suis studiis, laici vero materialibus officiis et laboribus, infirmorum curae, eleemosynarum quaestui, sub Superiorum dependentia, omnes incumbant.

93. Fratres dum in manuali exercitio sunt occupati non omittant, quanta humana fragilitas patitur, eo tempore spirituali meditationi dare operam. Propterea eos hortamur, ut tempore quo laborant, semper vel de Deo humili et submissa voce sermonem habeant, vel devotus aliquis liber legatur, quem omnes maxima cum modestia et caritate attente audiant, vel servetur silentium.

94. Caveant quoque fratres, ne ipsum laborem sibi finem constituant, aut ullum in eo affectum ponant, neque ita in eo versentur ut spiritum, cui omnia servire debent, extinguant aut retardent, sed mentis acie iugiter in Deum fixa per sublimiorem ac breviorem incedant viam, ne exercitium a Deo homini datum et a Sanctis usu acceptum et ad servandam spiritus devotionem commendatum in distractionis vel irreligiositatis causam vertatur.

95. Fratres pro saecularibus non laborent, nisi obedientia Superiorum impositum fuerit. Nullus praeterea audeat negotiis saecularium sese implicare, aut iis quae sunt extranea Ordini, vel statui religioso parum conformia sese ingerere, neque demum extra Ordinem munus pharmacopolae aut medicinae exercitium peragere, et qui contrarium fecerit, a Superiore provinciali graviter puniatur.

96. Devoti sancti Bernardi effatum est: tempore nil esse pretiosius, nihilque vilius eo reputari; eiusque quoque est monitum, nos de omni tempore nobis concesso diligenter esse iudicandos, quomodo illud impenderimus. Omnes ideo fratres nostros hortamur, ne unquam otio indulgeant, neque in rebus exiguae vel nullius utilitatis tempus insumant, eoque minus in vanis et inutilibus verbis. Tempus igitur tam pretiosum in laudabilibus, honestis atque utilibus mentis et corporis exercitiis impendant, ad honorem et gloriam divinae maiestatis, ad aedificationem et bonum exemplum proximis nostris tam religiosis quam saecularibus exhibendum.

CAPUT VI.

97. Seraphicus Pater noster Franciscus altissimam perpendens Christi, caeli et terrae regis, paupertatem, qui quoad habitationem, nascendo, ne parum quidem loci in diversorio obtinuit; vivendo, tamquam advena in domibus alienis habitavit; moriendo denique non habuit ubi caput reclinare posset; animadvertens insuper quam in omnibus egenus fuerit, ut eum imitarentur, in Regula suis fratribus praecepit, ne aliquid proprium haberent, ita ut expediti tamquam peregrini in terris et cives in caelis viam Dei ferventi spiritu percurrerent. Volentes igitur vere tam praeclarum Christi exemplum imitari et seraphicum caelestis paupertatis praeceptum revera servare, notum facimus, nos, servatis Sanctae Sedis iuribus, in effectu nullam habere, neque in particulari, neque in communi, temporalem iurisdictionem, dominium, proprietatem, iuridicam possessionem, usumfructum, alicuius rei usum iuridicum, ne rerum quidem, quibus ex necessitate utimur, nec Locorum in quibus hospitamur. Hoc tamen non impedit quominus rerum omnium quae ad vitam et officia status adimplenda necessariae sunt, simplicem usum facti habeamus, qui sit arctus vel moderatus iuxta Regulae praecepta.

98. Quamobrem decernitur, ut quum fratres Locum erigere voluerint, habito consensu Capituli vel, extra Capitulum, Definitorii provincialis, iuxta doctrinam humilis Patris nostri Francisci, in primis Ordinarium loci adeant et licentiam petant ut in eius dioecesi Locum erigere valeant; qua obtenta, praehabitis beneplacito Ministri generalis suique Definitorii ac rescripto Sedis Apostolicae,

cum benefactoribus et Communitatis dominis de loco vel situ conveniant.

99. Item ad omnem deordinationem evitandam, statuitur, ut nullus relinquatur Locus, nisi ex gravissima causa, de consensu Capituli vel, extra Capitulum, Definitorii provincialis, habitis prius Ministri generalis suique Definitorii licentia et Apostolicae Sedis beneplacito.

100. Ut autem saeculares rebus spiritualibus iuvare possimus, ipsi vero nobis temporalibus prodesse, mandamus, ne Loca nostra a civitatibus vel oppidis valde dissita erigantur, neque nimis propinqua nisi ex iustis gravibusque rationibus, ita ut per nimiam saecularium frequentiam detrimentum non patiamur.

101. Quoniam insuper tamquam peregrini, ad priscorum Patriarcharum exemplum, in humilibus locis et pauperibus aediculis vitam ducere debemus, hortamur fratres, ut recordentur verborum seraphici Patris prohibentis in suo testamento, quominus ullo modo ecclesias vel habitacula recipiant quae pro ipsis construentur, nisi sint iuxta formam altissimae paupertatis; quamobrem multo minus ipsis fratribus licitum erit ea exstruere vel, ut pro se sumptuose exstruantur, consentire. Nec debent fratres Minores, ut mundi dominis complaceant, Deum offendere, Regulam praevaricari, proximum scandalizare, simulque promissam evangelicam violare paupertatem. Maximum discrimen intercedat necesse est inter ingentia divitum palatia et pauperum, mendicantium, peregrinorum et poenitentium aediculas.

102. Ecclesiae nostrae sint simplices, devotae tamen, decentes et mundissimae: nec eas quo magis commode praedicetur, amplas habere velimus, quum, iuxta seraphicum Patrem, meliori simus exemplo in alienis praedicando ecclesiis quam in nostris, maxime cum offensa

sanctae paupertatis. Ibi sit campana una, eaque parva, pondere septuaginta circiter chilogrammatum.

103. In singulis Locis nostris sacristiae sint parvae, commodae tamen ac sufficienter sacra supellectili provisae iuxta Locorum necessitates; ibique omnia, praesertim paramenta sacerdotalia, nitida sint, corporalia atque purificatoria mundissima et candidissima.

104. In ornamentis altaris, paramentis aliisque ad cultum divinum spectantibus nihil ex auro vel argento confectum adhibeatur, exceptis tabernaculis sanctissimi Sacramenti, calicibus, pyxidibus, ostensoriis, et olei sancti vasis. Candelabra altarium sint ex ligno torno elaborata; missalia autem et breviaria, necnon alii nostri libri simpliciter sint colligati et sine curiosis signaculis.

105. Caveant igitur fratres, ne in rebus ad divinum cultum spectantibus, ulla appareat pretiositas, curiositas vel superfluitas, scientes Deum, ut ait Summus Pontifex Clemens V, velle cor mundum sanctasque operationes, iisque magis delectari, quam rebus pretiosis et valde ornatis. Hac de causa nobis attendendum est, ut in rebus usui nostro necessariis altissima resplendeat paupertas, quae nos ad caelestium divitiarum amorem inflammet, in quibus omnis thesaurus noster, deliciae sunt et gloriae. Idcirco Superiores provinciales, sacrae visitationis tempore, si quae pretiosa, curiosa vel superflua invenerint, in eos qui illa receperunt, utpote inobedientes et Ordinis simplicitatem repudiantes, animadvertant, simulque disponant ut ea, servatis debitis cautelis et Sanctae Sedis legibus, ab ecclesiis Locisque nostris amoveantur.

106. Conventus nostri sint simplices, solidi tamen et ad religiosae communitatis necessitates commodi. Cellae propterea triginta circiter metra cubica habeant; portae altitudinem decem et novem, latitudinem octo circiter de-

cimetrorum; fenestrae altitudinem novem, latitudinem sex decimetrorum; ambulacrum dormitorii latitudinem habeat octodecim decimetrorum; altitudo refectorii eius longitudini componatur, atque ordinarie triginta et octo decimetra ne excedat, excepto casu quo aer sit admodum insalubris, tunc enim aliquantum elevari possit; pariter ceterae officinae sint parvae, humiles, pauperes ac demissae, ita ut omnia praedicent paupertatem, humilitatem, mundique contemptum. Ubi vero lex civilis vel speciales regionis circumstantiae non admittunt humilem nostram construendi normam, servetur saltem quoad loca interna, et si ne id quidem obtineri possit, curent Superiores ne a simplicitate et paupertate nostra nimium recedant, ac nihil hoc in casu agatur, nisi obtenta prius Ministri generalis suique Definitorii approbatione.

107. Et ne in locorum selectu, aedificando, vel in cellis praefata mensura maioribus construendis ullus gignatur error; statuitur, ut a Ministro provinciali et Definitoribus in Capitulo duo eligantur fratres ex dignioribus magisque idoneis ac diligentibus provinciae, quorum muneris sit, una cum supradicto Ministro et Definitoribus, situs eligere pro constructione Locorum, simulque exemplaria ab ipsis subscripta exhibere, ad quorum normam aedificandum erit; aedificia autem studeant ita disponere, ut nulla ex parte deinceps quid destruere necesse sit; quod si inter ipsos discrepantia oriatur tam in eligendo situ quam in efformandis exemplaribus, volumus, ut haec per vota secreta ad vocum pluralitatem dirimatur.

108. Fratres quibus aedificiorum negotium commissum est, diligenter curent, ut forma praescripti exemplaris, adamussim exsecutioni mandetur, illorum conscientia onerata de quolibet notabili et non necessario excessu, sibique, ut exemplar, pauperum aediculas proponant, non

vero divitum palatia; omnes vero fratres contendant, dummodo iussi fuerint, omni humilitate, pace et caritate manibus opem ferre. De cetero, omnibus fratribus expresse vetatur, ne in denariis pro aedificio expendendis ullo modo sese ingerant, sed huiusmodi curam iis relinquant, quibus hoc negotium commissum fuerit; eos tamen humiliter et caritative admoneant, si quid deordinatum vel superflue expensum deprehenderint.

109. In omnibus Locis nostris aliqua pars reservata cum oratorio, aut saltem aptum et salubre cubiculum necessariis instructum pro infirmis habeatur. Praeterea omnes Superiores provinciales hortamur, ut quisque, in uno vel duobus conventibus propriae provinciae ad hoc aptioribus, commune constituant pro infirmis fratribus valetudinarium.

110. Statuitur insuper, ut in Locis nostris habeatur cubiculum cum camino ad excipiendum hospitio, si opus fuerit, aliquem peregrinum vel advenam, prout caritas postulat, nostraque sinit paupertas, maxime vero si persona religiosa sit, divino cultui dicata.

111. Et absolutis Locis, Superior localis, quidquam aedificare vel diruere ne audeat, nisi ipsi concessum fuerit a Superiore provinciali, qui attente vigilet, ne huiusmodi tribuat licentiam, nisi certior factus de vera necessitate; quod si de re gravis momenti agatur, prius habeat sui Definitorii et Fabriceriorum consensum. Conventus vero iam constructi nullo modo ad ampliorem formam duci possint, nisi gravissima de causa et Definitorii generalis licentia in scriptis obtenta.

112. Praeter haec, praecipitur, ut in Locis si quae fuerint vites, arbores fructiferae sive tantum ad commodum fratrum vel ornamentum inservientes, ne ullo modo caedantur vel eradicentur absque consilio Discretorum et

Superioris provincialis licentia, qui contrafacientes poena salutari puniat.

113. Ut vero puritas Regulae debito rerum divinarum ordine una cum altissima paupertate servetur, mandamus, ut in conventibus nostris iam absolutis ordinarie duodecim saltem degant religiosi, qui in nomine dulcissimi Iesu congregati, sint cor unum et anima una, conantes iugiter ad maiorem perfectionem tendere. Et ut veri sint Christi discipuli, ex toto corde mutuo se diligant, sese invicem supportantes, et sine ulla intermissione in amore divino et fraterna caritate sese exercentes, optimum exemplum sibi mutuo et ceteris omnibus praebere studeant, suis vitiosis inclinationibus vim inferendo: quoniam, ut Salvator noster ait, regnum caelorum vim patitur, et violenti, ii nimirum, qui violentiam sibimetipsis inferunt, rapiunt illud.

114. Quum autem omnimoda terrenarum rerum spoliatio aptissimum sit medium ad cohibendas cupiditates, perfectionem assequendam, vivum in nobis Dei amorem fovendum, servandam fraternam caritatem, ita ut caelitum pace in terris perfruentes, facilius regnum caelorum promereamur; statuitur quod, iuxta Ecclesiae praescriptum, in singulis omnium provinciarum Locis et a cunctis fratribus nostris, tam Superioribus quam subditis, sancte et constanter servetur perfecta vita communis. Haec autem in eo consistit, ut bona quaecumque, emolumenta, dona et cetera omnia quae quovis titulo religiosis obveniunt, Superioribus tradantur et in usum religiosae familiae conferantur, ita ut singuli ipsum victum, vestitum, aliaque necessaria e conventu in communi accipiant. Superiores igitur nihil quod sit necessarium subditis denegent, et subditi nihil quod sit superfluum exigant; ideoque Superioribus caritas et sollicitudo, subditis vero religiosa moderatio enixe commendatur. Animadvertant Superiores

provinciales, quod nisi in suis provinciis perfectae vitae communis vigeat observantia, iure ad habitum et professionem novitios valide recipiendi, absque ulla alia causa privabuntur.

115. Fratribus nullo modo liceat aliquid saecularibus dare absque Superiorum localium licentia, qui et ipsi donare nequeunt, nec aliis licentiam concedere, nisi agatur de rebus minimis et vilibus; pro elargiendis vero rebus alicuius momenti semper requiritur Superiorum provincialium licentia; qui et ipsi intra limites a iure statutos se continere debent.

116. Insuper quia voluntaria paupertas nihil habet, et est in omnibus dives et beata, non timet, non desiderat, nec aliquid amittere potest, quum thesaurum suum in tutissimo loco repositum habeat; ideo, ut in effectu et veritate occasiones omnes proprietatis evellantur, decernitur, ut nullus fratrum clavem habeat cellae, capsae, vel alterius cuiuslibet rei, exceptis Superioribus et officialibus ad ea servanda quae dispensare debent pro fratrum communitate, et qui ob specialem causam licentiam habent Superioris.

117. Si quis fratrum proprietarius repertus fuerit, ad annum et etiam ultra, si casus ferat, voce activa et passiva, ac per id tempus omnibus Ordinis officiis privetur; et cui hae poenae incongruae fuerint, is a Superiore provinciali alia gravi poena plectatur: si quis vero ut proprietarius notorius et impoenitens obierit, privetur ecclesiastica sepultura. Pariter pro gravitate culpae puniatur qui perfectae vitae communi subiici renuat, praetendens in Missarum eleemosynis, praedicationum vel cuiuslibet laboris sive spiritualis sive materialis stipendiis vel in donis sibi personaliter datis ius habere, et qui libros vel quamlibet aliam rem extra Loca nostra sine licentia Superioris provincialis vel localis deposuerit.

118. Quoniam iuxta evangelicam doctrinam christiani, maxime autem fratres Minores, qui per viam altissimae paupertatis Christum, speculum sine macula, propius sequi sibi elegerunt, recogitare debeant, quod Pater caelestis possit ac velit eos regere; idcirco non more gentilium, qui divinam negant providentiam, anxia et immoderata sollicitudine haec terrena sibi procurare debent, quae et ipsis brutis animantibus larga manu magnus Dominus elargitur; quin potius ut veri aeterni Patris filii, qualibet carnali sollicitudine seposita, ab hac divina liberalitate in omnibus pendeant seque bonitati eius infinitae concredant; ideo decernitur, ut in Locis nostris nulla fiat, quamvis humano victui necessaria, nisi per aliquot dies, earum rerum provisio, quae quotidie mendicari possunt. Rerum autem, quae raro, vel semel in anno, aut solum per recursum ad pecuniam haberi possunt, iuxta temporum exigentiam locorumque necessitates, maior provisio fieri possit.

119. Ad quamlibet autem confusionem vitandam, ex qua dissidia et iurgia fraternae caritatis detrimento oriri possent, statuitur, ut stipis quaeritandae ambitus atque termini tam provinciarum quam conventuum, a Definitorio generali et provinciali respective praefiniantur. Nec liceat Superioribus stipem colligendam committere, nisi professis aetate animoque maturis, numquam vero iis qui in studia adhuc incumbunt.

120. Si quandoque superflua a benefactoribus mittantur, fratres humili gratiarum actione recusent, vel si acceperint, ea, iuxta Superioris provincialis dispositionem, aliis conventibus distribuant, vel pauperibus tradant. Et meminerint omnes, in diversoriis nos hospitari et populorum peccata comedere, de omnibus exactissimam rationem reddituros. Quamobrem super omnia caveant fratres,

ne ex divitum liberalitate et mundi devotione eleemosynis abundantes, tamquam seraphici Patris Francisci degeneres filii, sanctissimam matrem paupertatem deserant. Aurea reminiscantur verba, quae ardentissimo amoris affectu seraphicus Pater dicere solebat: « Non fui latro de eleemosynis acquirendo eas vel utendo eis ultra necessitatem: semper minus accepi quam me contingeret, ne alii pauperes defraudarentur portione sua: quia contrarium facere, furtum esset ».

121. Ut insuper infirmorum necessitati satisfiat, eisque omne, quoad fieri potest, necessarium subsidium suppeditetur, prout dictat religio, praecipit Regula, fraterna requirit caritas, et seraphici Patris nostri exemplo, qui pro ipsis carnes palam quaerere non erubescebat, praecipimus, ut, aegrotante aliquo fratre, illico a Superiore deputetur frater idoneus et caritate plenus, qui in omnibus aegro inserviat; qui si in infirmi necessitatibus subveniendo negligens fuerit, moneatur, et non emendatus, puniatur; similiter a Superiore provinciali graviter corrigatur et puniatur Superior localis qui infirmorum suorum sedulam curam non habuit. Et si conveniens videatur, aegrum ad alium locum et caelum transferri, id quamprimum exsecutioni mandetur.

122. Aegrotantibus vero valde commendamus ut status nostri memores sint; ne igitur animae suae nocumento sanctam violent paupertatem, sui ipsius curam medico, sibique inservientibus, relinquant. Superior quoque localis si infirmos noverit periculoso morbo laborare, eos moneat, ut de gravitate morbi certiores facti, seipsos ad sanctissima sacramenta rite suscipienda disponant. Et quilibet frater recogitet quid in casu infirmitatis sibi factum vellet, et memoria recolat quae noster Pater seraphicus palam expressit in Regula dicens, nullam matrem adeo teneram,

piam et in filium suum unicum propensam esse, qualem in fratrem suum spiritualem quemlibet nostrum esse oportet.

CAPUT VII.

123. Considerantes seraphicum Patrem nostrum, viva Iesu Christi caritate incensum, nihil aliud vehementius cupiisse quam Dei gloriam et animarum salutem, nosque subinde, eius vestigia sequuturos, oportere in vinea Domini laborare et insudare, ut una cum nostra, etiam proximorum sanctificationem valde promoveamus; decernitur, quod si spirituale populorum bonum id exigat et obedientia postulet, sacerdotes nostri a Superioribus provincialibus et ab Ordinariis locorum approbati, sacramentales saecularium confessiones non solum in alienis, verum etiam in ecclesiis nostris audire possint.

124. Fratres autem ad confessiones audiendas deputati meminerint se, in exercitio ministerii sui, iudicis et medici personam sustinere ac divinae iustitiae simul et misericordiae ministros a Deo constitutos esse, ut honori divino et animarum saluti consulant. Quare virtutibus omnibus fulgeant oportet: in iis vero speciatim elucescat flagrans Dei amor et animarum zelus; caritas paterna, ne rigide, taediose ac impatienter agant; fortitudo et magnanimitas, quia bona est misericordia, ait sanctus Augustinus, sed non debet esse contra iudicium; angelica castitas et modestia, ne aliorum sordes mundando ipsi animam suam foedent; tandem eximia prudentia, ut maximo cum sui characteris decore aptis efficacibusque mediis possint animas a malo avertere et ad Deum perducere.

125. Superiores locales in confessarios sibi subditos accuratam adhibeant vigilantiam, et si quid advertant in

eis a sacerdotis gravitate et sanctitate alienum eos paterne moneant et, emendatione non secuta, provinciae Superiorem certiorem reddant, ut ipse, pro rei gravitate, errantes corrigere ac etiam punire valeat. Superiores autem provinciales, antequam subditos ad mulierum confessiones deputent, bene sciant quos eligant. Generatim ad hoc munus non deputentur iuniores; at illi etiam qui aetate provecti sunt, admitti non debent ad hoc officium habitualiter exercendum, si in eorum vivendi ratione aliquod exstat dubium circa rectam et sanctam commissi muneris functionem.

126. Pro fratrum autem confessionibus excipiendis, a Superiore provinciali in singulis Locis, plures deputentur confessarii prout religiosorum numerus requirit, cum potestate absolvendi etiam a casibus in Ordine reservatis; sintque confessarii docti, prudentes et caritate ornati.

127. Ut maiori fratrum nostrorum spirituali bono consulatur, notum facimus et concedimus in perpetuum, ut sacerdotes nostri ad audiendas fratrum confessiones in sua provincia approbati, iter facientes et per Loca nostra extra propriam provinciam transeuntes, vel ibi commorantes, valide ac licite excipere possint sacramentales omnium fratrum nostrorum confessiones, eosque a casibus in Ordine reservatis absolvere.

128. Fratres vero semel saltem in hebdomada confiteantur, libere et pro suo quisque lubitu eligens unum ex confessariis deputatis; quem electum, curet ne facile mutet. Nec fratribus vetatur quominus, ad conscientiae suae quietem, apud confessarium extra Ordinem ab Ordinario loci approbatum confessionem instituant, et ab eo absolutionem accipiant etiam a peccatis et a censuris in Ordine reservatis.

CAPUT VIII.

129. Quum Dominus noster Iesus Christus sapientissimus magister Ecclesiae suae fundamentum super firmam petram auctoritatis posuerit, et omne regnum in se divisum desolandum proclamaverit; statuimus, prout stricte praecipit Regula, ut fratres subiecti sint Guardianis et immediatis Superioribus; hi cum suis subditis, Superioribus provincialibus, et Superiores provinciales cum omnibus fratribus Ministro generali, ut eiusdem seraphici Patris sancti Francisci vicesgerenti ac legitimo successori.

130. Universus Ordo noster, quoad regimen, in provincias et commissariatus dividitur. Nullum autem territorium, in quo morantur fratres nostri, declaretur provincia, nisi quinquaginta saltem habeat sacerdotes, qui studiorum curriculum rite expleverint. Quapropter, si in aliquibus regionibus, quolibet tempore, fratres sint numero his nostris Constitutionibus statuto inferiores, mandatur, ut a Ministro generali eiusque Definitorio, audito prius voto Superiorum et Ex-superiorum maiorum, item Superiorum localium necnon, si opportunum videbitur religiosorum, Commissarius provincialis et duo saltem Assistentes designentur, qui regant fratrum communitatem per triennium: quo expleto, praehabito supradicto voto, alii Superiores eligi vel iidem in munere ad alterum triennium confirmari poterunt.

131. Intra vero provincias et commissariatus habeantur conventus, qui sint saltem domus formatae et a Guardiano regantur; ubi autem quacumque de causa conventus efformari nequeant, haberi possint hospitia a Praeside gubernata, vel immediate Superiori provinciali vel viciniori Guardiano subiecta.

132. Ordinis praelaturae conferantur per electionem, in qua procedant fratres pure, simpliciter, sancte et canonice. Caveant igitur omnes a directa vel indirecta suffragiorum procuratione, tam pro seipsis quam pro aliis: contra facientes privatione vocis activae et passivae, atque officiorum quae obtinent et inhabilitate ad futura quaecumque obtinenda puniendi sunt.

133. Conentur fratres, iuxta consilium Christi piissimi Domini nostri, dum ad eius nuptias invitantur, cum eo postremum tenere, non vero primum cum Lucifero locum appetere, quia, secundum evangelicam veritatem, « erunt novissimi primi, et primi novissimi »; quinimo, quum semper desiderare debeant potius subditi esse et obedire quam fieri Superiores aliisque imperare, cum Christo dignitates fugiant: nihilominus qui a Deo tamquam Aaron per sanctam obedientiam vocati fuerint, pertinaces non sint in respuendo munere sibi commisso.

134. Omnia nostrorum Capitulorum generalium, provincialium et localium scrutinia ita per schedas secretas fiant, ut eligentium nomina, iuxta praescriptum iuris, numquam manifestentur.

135. Declaratur quoque in qualibet electione necessarium esse et sufficere, ut quis, demptis suffragiis nullis, ultra dimidiam partem vocum obtineat. Electiones Definitorum singillatim fiant, ita ut unus tantum singulis votationibus eligatur; et si contigerit quod in primo aut secundo scrutinio nullus electus fuerit, tertium fiat scrutinium, in quo publicetur electus ille qui votorum pluralitatem relativam obtinuerit. Haec norma quoad numerum scrutiniorum in omnibus electionibus Ordinis generalibus, provincialibus et localibus servanda erit. In electione autem Ministri et Procuratoris generalis necnon Ministri provincialis post tertium inefficax scrutinium, instituatur

quartum scrutinium, in quo solummodo illi duo vocem passivam habeant, qui in tertio maiorem partem suffragiorum sortiti sunt. Quod si post ultimum et decisivum scrutinium, respective tertium et quartum, suffragia aequalia fuerint, habeatur electus qui prima professione sit senior; et si suffragati eodem die professionem emiserint, ille qui senior aetate.

136. Ad munus Superioris maioris inhabiles sint qui religionem professi non sunt a decem saltem annis a prima professione computandis, non sunt ex legitimo matrimonio nati, et annos quadraginta non expleverunt, si agatur de Ministro generali; annos triginta, si de aliis Superioribus maioribus. Notum quoque facimus, illum in omni electione eligendum esse, qui melior et magis idoneus iudicabitur ad illud officium ad quod eligitur, quovis alio seposito respectu. Antequam igitur ad quamcumque electionem canonicam deveniatur, omnes et singuli vocales iureiurando promittant se electuros quos secundum Deum eligendos esse existimaverint.

137. Quoniam vero Superiores subditorum suorum multo magis exemplo, quam verbis, duces esse debent et forma, statuitur, ut frater qui prudentia, pietate, doctrina, disciplinae regularis zelo ceteros non praecellat, et ordinarie die noctuque in chorum et refectorium cum fratribus convenire nequeat, vel notabiliter specialibus cibis indigeat, nullatenus Superior constituatur.

138. In quibuscumque electionibus nullus voce passiva gaudeat, nisi sit sacerdos, concionandi facultate a Ministro generali praeditus, ac votorum sollemnium professus; numquam vero ante expletum septennium a prima professione, salvis praescriptis iuris communis atque Constitutionum quoad promovendos ad singula munera vel officia.

139. Indicto autem Capitulo provinciali, in unoquoque conventu, qui sit saltem domus formata, eligatur Pater, etsi cum data sibi a Superiore licentia absens, in Discretum, qui una cum Guardiano ad Capitulum provinciale accedere debeat necessitates Loci et fratrum singulatim relaturus. In ea vero electione ii tantum fratres vocales sint, qui ius ad electiones concurrendi habent, ibique per duos menses de familia commorati sint. Et declaratur quod fratres, qui in hospitiis intra conventus districtum positis morantur sub Guardiani obedientia, uti illius Conventus familiae membra reputentur, illucque concurrendi ad electionem Discreti ius habeant.

140. Ut vero iuvenes nostri, tam qui venerint e saeculo quam qui ex alia religione, maiori quiete et simplicitate attendant ad conservandum et augendum spiritum recenter conceptum; decernitur, ne sacerdotes vocem activam habeant in electione Discreti ad Capitulum provinciale mittendi, nisi post professionem sollemnem, studiorumque curriculum rite expletum; atque, si fuerint religiosi sollemniter aut votis simplicibus perpetuis professi qui ad nos transierint, post triennium a professione in Ordine nostro emissa: clerici vero et laici nonnisi nuncupatis votis sollemnibus atque elapsis decem annis a prima eorum professione.

141. Ministri provincialis Secretarius atque frater socius vocem in electione Discreti habeant in eo conventu, in quo residet Minister provincialis; et eamdem vocem habeant Secretarii et fratres socii Ministri generalis, necnon Procuratoris, item fratres Definitorum generalium socii in suarum respective provinciarum conventibus, quum ibi ex legitima causa et obedientia Ministri generalis fuerint.

142. Praedicatores, si voluerint et in propinquo fue-

rint, ad suum reverti poterunt conventum pro electione Discreti.

143. Statuitur insuper ad omnem tollendam suspicionem, ne infra duos menses ante Capitulum provinciale, fratres e Loco mutentur sine gravi et manifesta necessitate. Animadvertant Ministri provinciales et Definitores, ne in fratrum mutationibus itemque in familiarum dispositione, aliquid agant, quod rationabilem suspicionem alicuius consilii pro futuris electionibus parere possit.

144. Capitula provincialia de triennio in triennium habeantur feria sexta hebdomadae secundae vel tertiae post Pascha, vel alio tempore iuxta provinciarum consuetudines, de Ministri generalis licentia, cui reservatur facultas ea convocandi sex mensibus ante vel post triennium, sive sacrae visitationis occasione vel ex alia qualibet rationabili causa. In iis vero sint vocales Minister provincialis, Definitores, Ex-ministri generales et Ex-definitores generales qui sunt eiusdem provinciae membra, Custodes generales, Ex-ministri provinciales, Ministri provincialis Secretarius qui saltem per triennium officio suo functus fuerit, Guardiani, hospitiorum Praesides proprium districtum habentium, in quibus, sub Ministri provincialis immediata dependentia, gubernant religiosam familiam quae tribus saltem sacerdotibus constet ipso Praeside comprehenso, ac tandem Discreti.

145. Minister generalis vocem activam habeat in omnibus Capitulis, quibus praefuerit; Definitores generales autem eamdem habeant vocem in Capitulis suae respectivae provinciae, quum ibi fuerint.

146. Eligantur porro in Capitulo provinciali quatuor Definitores de gremio Capituli vel de corpore provinciae, ex quibus duo ad summum possunt esse ex electis in praecedenti Capitulo; Minister autem provincialis in hac tan-

tum electione vocem habeat activam. Quod si quis Definitor electus extra gremium Capituli sit absens, minime operationes Capituli suspendantur.

147. Definitoribus electis, Minister provincialis, in humilitatis signum et ad ostendendum animum ab omni ambitionis specie alienum, in publico Capitulo officium suum omnemque auctoritatem remittat, atque in testimonium perfectae abdicationis sigilla tradat et suorum defectuum culpam dicat; deinde ad electionem Ministri provincialis procedatur, qui etiam ex alia provincia assumi potest.

148. Minister provincialis per triennium tantum in officio perduret: quo exacto, in eadem provincia ad idem munus secundo immediate assumi nequeat, et a Superioris localis officio per annum liber maneat: Minister tamen generalis cum suo Definitorio, iustis de causis, ipsi vocem passivam concedere potest.

149. Electo autem Ministro provinciali, Definitores, nomine Capituli, scribant ad Ministrum generalem pro confirmatione; interim vero, donec responsum venerit, officium exercere poterit tamquam Commissarius ipsius Ministri generalis, dummodo in ipsa versetur provincia.

150. Quum in Capitulis provincialibus quatuor Definitores constitui debeant, si in Ministrum provincialem electus fuerit unus ex ipsis, quintus eligatur Definitor et eligi possit unus ex Definitoribus praecedentis Capituli, licet inter quatuor primos duo ex eis electi fuerint; quando tamen Minister provincialis electus sit unus ex illis, minime vero si ex novis Definitoribus fuerit.

151. Decernitur etiam, ut unaquaeque provincia duos habeat Custodes generales, qui de gremio Capituli vel de corpore provinciae eligantur; Minister autem provincialis officio cedens, in electione vocem habeat passivam. Eligatur ergo primus Custos generalis, qui ad Capitulum ge-

nerale referre debeat de provinciae necessitatibus; dein eligatur secundus Custos, qui tamen ad Capitulum generale non accedet, nisi primus obierit, vel ex infirmitate aut alia gravi causa a Definitorio generali approbanda, praefato Capitulo interesse nequeat.

152. Vacante quacumque de causa officio Ministri provincialis, primus Definitor statim recurrere teneatur ad Ministrum generalem, et donec mandata recipiat, provinciae regimen teneat: quod si durante munere Vicarii provincialis celebretur Capitulum generale, ad ipsum accedat. Decernitur insuper, ut, si quis Minister provincialis gravi infirmitate impediatur Capitulum generale adeundi, recognita et approbata prius causa a Ministro generali et Definitorio, primus Definitor eius Provincialis partes agat in Capitulo generali.

153. Vacante quacumque de causa officio Definitoris provincialis ultra annum ante Capitulum provinciale, a Ministro generali cum suo Definitorio, praehabito voto consultivo Definitorii provincialis, alius eligatur, et locum teneat quarti Definitoris.

154. Minister generalis cum suo Definitorio, gravibus de causis ab ipso aestimandis, eligere potest Superiores provinciales, omissa Capituli provincialis celebratione, praehabito in scriptis voto consultivo provinciae; id autem fieri non poterit per duo triennia successive, sed transacto triennio in quo Superiores a Ministro generali cum suo Definitorio constituti sunt, Capitulum provinciae modo in his Constitutionibus praescripto convocari debet.

155. Ut modus conveniens et expeditus assignetur pro institutione Guardianorum, Minister provincialis una cum Definitoribus, post auscultationem omnium vocalium, primum inter se conferant et discutiant quinam excludendi sint; dein eorum quisque, Minister videlicet et Definitores,

seorsim suam secreto conficiat schedam, in qua tot Patres adnotabit, quot Guardiani instituendi erunt, eos libere eligens quos meliores et magis idoneos iudicaverit; et, vocatis in definitionem scrutatoribus Capituli, vel aliis de novo, prout consultum videbitur, assumptis, unusquisque in eorum manus schedam tradet; scrutatores autem, collectis in unum secreto omnium vocibus, fratrum electorum enuntient nomina ac suffragia. Si contingat quod in primo scrutinio non omnes eligantur, alia peragantur scrutinia, donec necessarius Guardianorum numerus expleatur; si vero electi requisitum numerum excedant, Minister et Definitores secreto et pro lubito quos consultius duxerint superfluos expungant: deinde electos distribuant per conventus, prout sibi magis expedire videbitur. Quod si opportunum videatur, ad omnem suspicionem et iudicia tollenda, Guardianorum collocatio in conventibus civitatum insigniorum fieri poterit per secretum scrutinium.

156. Peracta institutione et collocatione Guardianorum, nominentur hospitiorum Praesides necnon Vicarii conventuum, ac familiae constituantur.

157. Ne Superioribus localibus deficiat consilium et adiutorium in rebus sive spiritualibus sive temporalibus alicuius momenti, statuitur ut in unaquaque domo saltem formata duo sacerdotes ad hoc officium deputentur, unus a Definitorio provinciali, alter vero ad omnibus religiosis qui in Loco sunt de familia et vocem habent in electione Discreti ad Capitulum provinciale mittendi.

158. Guardiani et Praesides non constituantur ad tempus ultra triennium, sed reeligi poterunt ad aliud triennium pro alio loco, imo si iustae adsint causae, etiam in eodem loco; et Superioris munere sex annos perfuncti, ab eo per annum vacent. Attamen non prohibetur quominus praefati Superiores post dictum tempus in Superiores maiores eligi possint.

159. Vacante quacumque de causa officio Guardiani ultra sex menses ante Capitulum provinciale, in congregatione definitoriali alius eligatur Guardianus eadem methodo ac in Capitulo; si vero officium vacaverit infra sex menses ante Capitulum provinciale, familiam moderetur Vicarius conventus, qui et ad Capitulum accedet. Statuitur insuper, ut Vicarius conventus simul cum Discreto possit gravi infirmitate detinetur quominus ipse locum Capituli ad Capitulum provinciale accedere, quoties Guardianus adeat, causa tamen impedimenti a Ministro provinciali et Definitorio prius rite cognita et approbata.

160. Decernitur quod, electione novorum Superiorum provincialium peracta, etiam extra Capitulum, cessant ipso facto omnia officia et munera, quamvis triennium ab eorum institutione non sit expletum.

161. Quoad Capitulum generale statuitur, ut quolibet sexennio celebretur circa festum Pentecostes, utpote tanto negotio maxime congruum et a seraphico Patre in sua Regula designatum. In eo vocem habeant Minister generalis, Definitores generales, Ex-ministri generales, Secretarius generalis Ordinis post sexennium in officio expletum, Ministri provinciales, Commissarii provinciales et Custodes generales.

162. Electiones Capituli generalis ad duos dies protrahantur: primo die eligantur sex Definitores, respectu habito ad repraesentationem diversarum linguarum, quorum tres ad summum possunt esse ex electis in praecedenti Capitulo, et assumi possunt etiam extra gremium Capituli. Minister autem generalis in hac tantum electione vocem habeat activam. Definitoribus electis, sequenti die Minister generalis in publico Capitulo officium suum omnemque auctoritatem remittat, sigilla tradat et suorum defectuum culpam dicat; deinde ad electionem Ministri generalis procedatur.

163. Quum in Capitulis generalibus sex Definitores constitui debeant, si in Ministrum generalem electus fuerit unus ex ipsis, septimus eligatur Definitor, et eligi possit unus ex Definitoribus praecedentis Capituli, licet inter sex primos tres ex eis electi fuerint, quando tamen Minister generalis electus sit unus ex illis, minime vero si ex novis Definitoribus fuerit.

164. Ministri generalis et, si opus fuerit, septimi Definitoris electione peracta, Procurator generalis in publico Capitulo culpam dicat; deinde ab omnibus vocalibus novus eligatur Procurator, qui de gremio Definitorii semper assumi debeat, et, vi ipsius electionis ad munus Procuratoris, sit primus inter Definitores.

165. Officia Ministri generalis et Procuratoris per sexennium tantum perdurant; quo exacto, ambo ad idem respectivum munus secundo immediate assumi nequeunt; insuper Minister generalis expleto sexennio ab omni praelatura per annum liber maneat.

166. Ad Procuratorem generalem spectat Ordinis negotia apud Sanctam Sedem pertractare et expedire; in iis vero quae Ordinem universum, vel totam provinciam respiciunt, Ministri generalis et Definitorii consensum habeat. Nullo insuper modo pro fratribus in particulari, nisi de consensu Superioris provincialis, gratias vel facultates petat: hinc nullus frater cuiuscumque sit gradus vel conditionis, negotium apud Curiam Romanam, nisi eo mediante, pertractare audeat.

167. Quoties Minister generalis quacumque de causa ab Urbe discedat, Procurator Commissarii generalis munere fungatur ad normam constitutionis Summi Pontificis Benedicti XIV *Suprema apostolicae*, 25 novembris 1755, et una cum Definitorio negotia Ordinis agat et expediat. Ut autem Ordini una sit gubernii et directionis ratio,

cunctaque subditorum bono et aedificationi ordinatim optime cedant, Procuratoris erit eumdem Ministrum generalem certiorem reddere de rebus gravioribus, quae in provinciis eveniunt, deque decisionibus a Definitorio generali latis.

168. Confirmatio tamen Ministrorum provincialium, electio Commissariorum provincialium, necnon Visitatorum generalium, qui ad provincias mittuntur, litterae quoque patentes praedicationis soli Ministro generali privative reservantur, qui et aliquas alias determinatas causas, si opportunum iudicaverit, sibi reservare potest, dummodo ordinariorum negotiorum expeditio non impediatur.

169. Vacante quacumque de causa officio Ministri generalis, Procurator generalis eidem succedat tamquam Vicarius generalis; quod si ipse ab officio cessaverit durante numere Vicarii generalis, tunc sit Vicarius generalis secundus Definitor, et ita ordinatim alteri alter Definitor succedat.

170. Statuitur, ut qui Vicarius generalis remanserit iisdem iuribus gaudeat ac Minister generalis, et pro actis officialibus sigillo Ordinis utatur; de vacatione autem officii Ministri generalis Sedem Apostolicam quantocius certiorem faciat pro necessariis et opportunis instructionibus, quibus habitis, eas fideliter exsequatur.

171. Decernitur, quod si Procurator generalis durante munere ab Urbe discedat, officium Procurae a Ministro generali pendeat. Vacante vero quacumque de causa officio eiusdem Procuratoris ultra annum ante Capitulum generale, a Ministro generali et Definitorio per schedas secretas de gremio Definitorii alius eligatur Procurator generalis, qui iisdem iuribus gaudeat ac Procurator cessans. Si vero officium vacaverit infra annum ante Capitulum gene-

rale, tunc a Ministro generali et Definitorio instituatur, ut supra, Vice-procurator pariter de gremio Definitorii.

172. Vacante quacumque de causa officio Definitoris generalis ultra annum ante Capitulum, a Ministro generali et Definitorio per secretas schedas alius eligatur eiusdem linguae, et locum teneat sexti Definitoris.

173. Minister generalis et Definitores, qui Romae residere tenentur, dubia, quae in his Constitutionibus occurrent, solvere ac declarare debent, necessitatibus provinciarum consulere, omnes causas, quae ad rectum Ordinis regimen spectant, definire ac determinare, et in eis sententiam dicere. Ad Ministrum generalem pariter eiusque Definitorium spectat dispensare pro singulis casibus in re tantum disciplinari super statutis harum Constitutionum, quae non sint ex iure communi aut ex Regula. Minister autem generalis, sua semper necnon Definitorii salva auctoritate, Definitoribus generalibus negotia Ordinis, et praesertim provinciarum propriae cuique linguae, examinanda et pertractanda committat, etiam extra congregationes definitoriales.

174. In Capitulis generalibus tractetur etiam, iuxta antiquam consuetudinem, de gravioribus negotiis quae Ordinem nostrum spectant; super quibus capitulares omnes tempestive instruantur, ut maturiore cum iudicio singuli sententiam suam proferre valeant. Determinare autem quaenam negotia sint Capitulo subiicienda, quonamve modo pertractari debeant ad solum Ministrum generalem eiusque Definitorium pertinet. Idem, ceteris paribus, de consensu Ministri provincialis eiusque Definitorii, fiat in Capitulis provincialibus, quoties ad instaurandam retinendamque regularis vitae disciplinam, necnon ad augendam pietatem, aliqua decisio statuenda videbitur.

175. Ad pertractandas apud Sanctam Sedem causas beatificationis et canonizationis Servorum Dei, habeatur in Curia generali Postulator generalis, qui a Ministro generali de consensu Definitorii sui institui debet et a Congregatione sacrorum Rituum confirmari. Postulator officio suo fungatur ad normam iuris, sub dependentia Ministri generalis; et semel in anno coram Definitorio generali rationem reddat de causis in sacra Congregatione agitatis, necnon de statu oeconomico Postulationis.

176. Ut in Curia generali habeantur Officiales numero sufficientes pro negotiis expediendis, a Ministro generali de sui Definitorii consensu seligántur ex diversis provinciis et nominentur Secretarius generalis Ordinis, Secretarius generalis pro Missionibus, aliqui Substituti et Archivista generalis. Procurator quoque de Ministri generalis et Definitorii consensu, Procurae Secretarium cum Substituto eligat. Omnes praefati Officiales, itemque Postulator generalis, novis Superioribus generalibus electis, ipso facto cessant; novus autem Minister generalis de consensu sui Definitorii in officio confirmare poterit quos in Curia retinendos existimaverit.

177, Omnes praefati Officiales, durante munere, vocem in Capitulo provinciarum suarum habeant, dummodo in eis versentur; post integrum sexennium laudabilis exercitii, Minister generalis cum suo Definitorio eis concedere poterit privilegia et iura etiam capitularia, quae Ex-ministris provincialibus competunt.

178. Ad evitanda incommoda quae eveniunt ex non servato secreto de iis quae in Definitione aguntur, sancitum est, ut Definitores generales, item Superiores provinciales eorumque Definitores iuramentum praestent secreta ea omnia servandi quae in Definitione tractantur, quaeque molestias aliasve difficultates parere possunt.

179. Item praecipitur, ut Officiales Curiae generalis necnon Secretarius provincialis, antequam munus exercere incipiant, coram respectivo Definitorio generali sive provinciali iusiurandum praestent de munere fideliter exercendo et de secreto servando.

180. Tempore quo celebratur Capitulum generale, omnes Ordinis fratres continuas et ferventes preces fundant: idem praestent cuncti fratres provinciae tempore Capituli provincialis, ut omnia nostra Deus disponere dignetur iuxta suum beneplacitum ad laudem, honorem et gloriam infinitae suae maiestatis, necnon ad utilitatem suae Catholicae Ecclesiae.

CAPUT IX.

181. Quoniam evangelizare verbum Dei unum est e dignioribus, utilioribus altioribusque officiis quae in militante Ecclesia habentur, a quo magna ex parte salus mundi dependet, eaque de causa Christo Deo nostro adeo cordi fuit, ut ipse per semetipsum fervore maximo divinae caritatis illo perfungi voluerit; ideo, ne tam nobile, excellens ac fructuosum munus in Ordine nostro deficiat cum gravi animarum detrimento, decernitur, ut in singulis provinciis sint studia devota, caritate et humilitate redundantia, de humanioribus, ceterisque scientiis scitu requisitis, ut ad cognitionem sacrae atque scholasticae theologiae, divinarum Scripturarum, sacrorumque canonum facilius deveniatur; illa enim, praeter religiosam atque probatam vitam, necessaria est iis qui ordinatim ac digne praedicare debent.

182. Nullus admittatur ad studium philosophiae nisi in disciplinis inferioribus, iuxta cuiusque nationis meliores scholas, sit rite instructus. Quapropter, quum iuvenes qui

vitam nostram uti clerici amplecti postulant scientia litterarum a iure requisita saepe careant, statuitur, ut in qualibet provincia habeatur seminarium seraphicum, in quo adolescentibus una cum educatione civili et religiosa Ordinis nostri propria humaniores litterae et praesertim linguae latina et patria tradantur.

183. Studentes philosophiae et theologiae in uno conventu, quatenus fieri potest, collocentur, alias cursus philosophici alumni in uno, in alio vero alumni cursus theologici ponantur. In studiorum autem conventibus vigeat perfecta vita communis ac regularis observantia; secus studentes ad ordines promoveri nequeant. Quod si aliqua provincia studia rite instaurata habere nequeat, Minister generalis cum Definitorio huic defectui provideat, ad normam iuris, studentes potissime mittendo ad recte ordinatam sedem studiorum alius provinciae.

184. Toto studiorum curriculo clerici committantur speciali curae Directoris, qui dotibus in Magistro novitiorum requisitis praeditus sit oportet. Ipsius opera studentium animi ad vitam religiosam informentur opportunis monitis, instructionibus atque exhortationibus, ut ad onus sacerdotale assumendum gradatim praeparentur.

185. Studentes contendant viam regiam quae ad caelum perducit, sanctam videlicet humilitatem, una cum seraphica paupertate numquam deserere, memores sententiae beati Iacoponi: « Scientia acquisita lethaliter vulnerat, nisi cordis humilis operiatur vestitu ». Eis quidem sese humiliandi occasio erit, si perpendant sibi novam erga Deum adauctam esse obligationem, ex eo quod, ad studia vocati, introduci meruerint ad veram et suavem sacrarum litterarum intelligentiam, sub quarum sensu summum Bonum latet, cuius spiritus eumdem gustantibus est super mel dulcis. Proinde studentes hortamur, ut ante lectionem

mentem ad Deum attollant et in spiritu humilitatis sequentem dicant orationem:

Domine, ego vilissimus servus tuus, et omni bono indignus, volo ingredi ad videndum thesauros tuos; placeat tibi ut me indignissimum introducas, et des mihi in his verbis et sancta lectione, tantum te diligere, quantum te cognoscere, quia nolo te cognoscere, nisi ut te diligam, Domine Deus, Creator meus. Amen.

186. Studium Philosophiae cum scientiis affinibus tribus annis perficiatur; cursus vero theologicus integro quadriennio contineatur, et praeter theologiam dogmaticam, moralem atque ascetico-mysticam, complecti praesertim debet studium sacrae Scripturae, historiae ecclesiasticae, historiae Ordinis, patrologiae, iuris canonici cum Regulae nostrae expositione, liturgiae, sacrae eloquentiae et cantus ecclesiastici. Habeantur etiam lectiones de theologia pastorali, additis practicis exercitationibus, praesertim de ratione tradendi pueris aliisve catechismum, audiendi confessiones, visitandi infirmos atque assistendi moribundis.

187. Statuitur insuper, ut unaquaeque provincia, attentis aliunde legitimis consuetudinibus, rationem habeat studiorum, tum quoad diversas scientias tum quoad horas singulis assignatas, quae a Definitorio generali approbari, nec inconsulto eodem Definitorio mutari debet. Quoad libros in textum, auctores Ordinis nostri aliis, ceteris paribus, praeferantur.

188. Clerici, antequam ad novum studiorum cursum ascendant, a Superiore provinciali una cum Definitoribus atque respectivis Lectoribus diligenter examinentur, et, transacto doctrinae periculo, secreto subiiciantur scrutinio; porro qui maiorem suffragiorum numerum retulerint, ad studium prosequendum admittantur; ceteri vero in lectiones non satis intellectas incumbentes se ad eadem pericula

iterum subeunda praeparabunt. Examinatorum autem conscientias graviter oneramus, si in tali negotio, ex quo tantum vel fructus vel damni religioni obvenit, simpliciter non processerint, sed humanis ducti rationibus vel affectibus ineptos ac indignos approbaverint.

189. Non quaerant studentes illam consequi scientiam, quae inflat et superbiam parit, sed studeant illuminantem et ardentissimam Christi caritatem acquirere, quae animas humiliat et vivificat, neque se litterarum studiis ita immergant, ut sanctae orationis studium praetermittant; sic enim contra expressam sancti Patris nostri Franciscii mentem agerent. « Mihi quidem placet », aiebat, « litteratos intendere studio sacrae Scripturae, dum tamen exemplo Christi, qui magis orasse legitur quam legisse, orationis studium non omittant, nec tantum studeant ut sciant qualiter debeant loqui, sed ut audita faciant, et quum fecerint, aliis facienda proponant ».

190. Quapropter studentes iubentur ut ad Matutinum omnesque horas canonicas, necnon ad orationem in choro conveniant; exacte ac diligenter Superiorum mandata studiorumque rationem servent; Guardianis, Directoribus, Lectoribus et praeceptoribus obediant, eosque ut patres honorent atque diligant. Qui vero studia aut spiritualia exercitia neglexerint, primum admoneantur et ad arbitrium Superioris provincialis puniantur; quod si non se emendaverint, e studio amoveantur, ac pro gravitate culpae etiam aliis poenis plectantur.

191. Curent Superiores ut saltem sacrae Scripturae, theologiae dogmaticae, theologiae moralis et historiae ecclesiasticae totidem habeantur distincti Lectores; qui optimam ac tutissimam Seraphici Doctoris sancti Bonaventurae et Angelici Doctoris sancti Thomae doctrinam exponant.

192. Lectores et praeceptores iuxta canonicas ordinationes et probatas provinciarum consuetudines, eligantur inter concionatores sollemniter professos, qui pietate, doctrina, alacri ingenio et sermonis facilitate, scientiarum amore, praecipue autem morum probitate ac vitae integritate inter ceteros emineant, ut iuvenes sibi commissos bonitatem pariter et disciplinam et scientiam docere valeant.

193. Quapropter decernitur, ut Lectores et praeceptores bene valentes saltem ad Matutinum, ad Vesperas et ad unam horam orationis in chorum conveniant, et dum docent suae quoque sanctificationi sub Superiorum obedientia attendant; nec ordinarie intra annum nisi in loco suae residentiae, idque parce, concionentur.

194. In studiis consueta fiant exercitia, neque vacationes a schola per aestivum tempus ultra bimestre protrahantur; quare Superiores provinciales attendant ut Lectores diligenter suas prosequantur Lectiones. Vigilent etiam super doctrina, quam tradunt Lectores; et ab officio eos removeant, qui erroneas et periculosas doctrinas tenent, aut noxiarum novitatum amatores se ostendunt, vel ob alias graves causas videntur impares profectui discipulorum intellectuali et spirituali.

195. Quum nihil sanctius nihilque augustius sit quam Missae sacrificium, nullus clericus ad ordines promoveatur, absque accurata mentis et cordis praeparatione, atque fideliter servatis legibus Ecclesiae quae ad sacram ordinationem pertinent.

196. Superiores provinciales curent, ut, quatenus fieri possit, neo-sacerdotes qui studiorum curriculum iam absolverint, etiam facultate concionandi obtenta, iuxta vetustam laudabilemque Ordinis consuetudinem, in studium sacrae eloquentiae adhuc incumbant per annum, atque

ministerio praedicationis initientur sub disciplina Patris concionatoris specialiter ad hoc deputati.

197. Nullus ad officium praedicationis promoveatur, nisi, praeter alia in iure statuta, a Ministro generali, ut vult et praecipit Regula, examinatus et approbatus fuerit, aut, ex eius delegatione, a Superiore provinciali una cum Definitoribus et Lectoribus: quo in casu, ii omnes insimul congregati Ministro generali fidem faciant religiosum studiorum curriculum ab his Constitutionibus praescriptum rite complevisse, itemque, sumptis prius secretis suffragiis, constare de eius bonis moribus et idoneitate ad praedicationis officium. Si quis autem e sua provincia in aliam studendi causa transierit, testimonium de studiis peractis et de morum probitate a Superioribus etiam huius provinciae deferatur.

198. Neque alicui munus praedicationis conferatur, nisi certo constet, ipsum esse vitae sanctae et exemplaris, clari et maturi iudicii, fortis ac ardentis voluntatis; quum compertum sit scientiam et eloquentiam, a caritate seiunctas, minime esse in aedificationem, verum saepius in destructionem; siquidem, iuxta sanctum Gregorium, illius praedicatio facile contemnitur qui vitam ducit remissam. Attendant igitur Superiores, ne hoc in committendo officio acceptatores sint personarum, nec hominum amicitia aut favore, sed simpliciter et solum honore Dei moveantur, curantes potius, ut pauci sint concionatores, at virtutibus ornati, quam multi sed inepti, exemplo Christi, summae Sapientiae, qui ex tanta hebraeorum multitudine duodecim tantum elegit apostolos et septuaginta duos discipulos, longa oratione praehabita.

199. Ut autem in iunioribus sacerdotibus non defervescat, imo de die in diem studii ardor accendatur eorum maxima cum utilitate; decernitur, ut, etiam regulari stu-

diorum curriculo expleto, necnon concionandi facultate obtenta, quotannis per quinquennium a doctis gravibusque Patribus examinentur in diversis sacrarum scientiarum disciplinis, antea designandis a Superiore provinciali, necnon in specie de Regula primi ac tertii Ordinis. Et fratres omnes in excolendis studiis, praesertim sacris, recto ministerii spiritualis exercitio tam necessariis, iugiter perseverent; quod si secus fecerint, eorum detrimento et ignominiae, sententia Christi Salvatoris nostri confirmabitur: « Caecus si caeco ducatum praestat, ambo in foveam cadunt ».

200. Insuper quolibet in Loco, saltem semel in mense, habeatur solutio casus moralis, liturgici et Regulae, cui, si Superior opportunum existimaverit, addi potest sermo de re dogmatica coniunctisve doctrinis; et, nisi Superior provincialis aliter iudicaverit, omnes clerici professi qui studio sacrae theologiae operam navant, aut illud expleverunt ibique degunt, assistere teneantur.

201. Quo magis studiorum incrementum foveamus, maioremque fructuum copiam in vinea Domini colligere possimus, Superiores provinciarum enixe rogantur, ut quos habuerint iuvenes ingenio et zelo regularis observantiae vere insignes, de consensu Definitorii sui, Ministro generali notos faciant atque praesentent; cuius erit providere eorum institutioni superiori, potissime in Collegio Seraphico internationali ad hoc specialiter Romae erecto. Et caveant Superiores provinciales ne eos ad Universitates mittant, absque Ministri generalis licentia in scriptis obtenta.

202. Praedicationis inter populos exercitium, ad normam iuris, ab Ordinarii loci necnon Superiorum provincialium auctoritate pendet; qui concessam facultatem vel

licentiam possunt ac debent revocare, si compererint necessarias dotes in concionatore desiderari.

203. Designatio praedicationum habendarum intra districtum Loci a fratribus illius familiae ad Superiores locales pertinet; secus ad solos Superiores provinciales, qui iuxta laudabiles provinciarum consuetudines, de suorum Definitorum consensu, sibi reservare possunt praedicationes maioris momenti, easque, etiam infra districtum cuiuslibet Loci, determinatis concionatoribus assignare. Caveant igitur concionatores, ne quid cum parochis vel aliis paciscantur, ut eis missio divina non deficiat, neque exprobretur quod Dominus per os Prophetae dixit: « Non mittebam prophetas, et ipsi currebant »; qui secus fecerit, moneatur et pro rei gravitate puniatur.

204. Ad haec imponitur praedicatoribus ut in concionibus exponant in primis quae fideles credere et facere ad salutem oportet; abstineant a profanis aut abstrusis argumentis communem audientium captum excedentibus, sed exemplo sancti Praecursoris Ioannis Baptistae valide ac fervide praedicent: « Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum caelorum »; et, ut Pater noster Franciscus hortatur, vitia et virtutes, poenam et gloriam annuntient cum brevitate sermonis; allegando in primis Christum, cuius auctoritas cunctis hominibus et mundi rationibus praevalet; adducendo sacras Scripturas ac subinde apostolicas atque ecclesiasticas traditiones, sacra Concilia, sanctos Patres et Doctores Ecclesiae.

205. Sint quoque ita examinata et casta eorum eloquia, ut ad nullas singulares personas descendant, maxime si religiosi sint vel Ecclesiae praelati; et secus agentes graviter puniantur. Abstineant insuper a perpolitis et affectatis locutionibus, quae nudum et humilem Crucifixum dedecent, sed humili, nudo, puro ac simplici utantur elo-

quio, caritate tamen ac apostolico fervore accenso. Ideo praedicatores hortamur, ut summa ope Iesum benedictum in cordibus suis imprimere, seque in eius pacificam possessionem dare contendant, ut ille sit, qui eos ad loquendum ex amoris redundantia impellat, uti Paulum apostolum, vas electionis, Doctorem gentium, qui praedicabat non in sublimitate sermonis humanaeque eloquentiae, sed in virtute Spiritus Sancti. Contendant etiam ad exemplum perfectissimi magistri nostri Iesu Christi non solum doctrina, sed et opere alios docere. Hi revera magni sunt in regno caelorum, qui prius operantur et postea alios docent et praedicant.

206. Quapropter praedicatores bene valentes, dum actu non concionantur, ad horas canonicas et ordinarias orationes, quantum fieri possit, in choro conveniant, et vitam agant communem cum ceteris fratribus.

207. Ipsi autem cum concionantur, vivant ut pauperes et mendici, necessariis contenti; nihil sibi vel fratribus poscant, ut omnibus innotescat, se iuxta apostolicam doctrinam, non quae sua sunt quaerere, sed quae Iesu Christi, gloriam Dei scilicet et animarum salutem, quas suo pretiosissimo sanguine Christus redemit. Multo magis vetatur, quominus praedicationis causa aliquid accipiant, quod rationem merae eleemosynae non habeat, nec sibi comparare faciant libros, habitus, pannos vel similia, quae praedicationis pretium videantur: contrarium autem fascientes a Superiore provinciali puniantur, et emendatione non secuta, ab officio praedicationis suspendantur.

208. Si contigerit quod pauperes aut pia opera misericorditer fidelibus commendanda sint, id non faciant absque Ordinarii loci vel parochi licentia, et nullo modo, facta ab aliis collecta, sese in eius receptione vel distri-

butione immisceant, neque permittant, ut fratrum nomine alii hoc faciant.

209. Ne autem cum aliis praedicaverint, ipsi reprobi efficiantur, deserant aliquando populorum frequentiam et ad solitudinem redeant, atque cum dulcissimo nostro Salvatore sanctae orationis et contemplationis montem ascendant ibique tamdiu maneant quamdiu Deo repleti, vi Spiritus Sancti ad divinas in mundum effundendas gratias moveantur, enitentes, ad instar Seraphim, divini amoris flammis accendi, quo ferventes, alios inflammare valeant; sicque operantes, modo Marthae ministerio, modo Mariae silentio vacando, Christum in vita mixta sequentur, qui post orationem in monte, praedicaturus descendebat in templum, imo de caelis venit in terram, ut animas salvaret. Omnes igitur concionatores conentur, praedicatione expleta, a civitatibus vel oppidis in quibus praedicaverint quamprimum discedere et, nisi sint necessitate retenti, ad Loca sua regredi, ne propter nimiam cum saecularibus conversationem et familiaritatem, praedicationis fructus evanescat, sacri ministerii auctoritas et aestimatio minuatur.

210. Curent Superiores, ut Tertius Ordo de Poenitentia promoveatur et ubique propagetur; praedicatores vero eius dignitatem et in christianos mores efficacitatem omnem suadendi occasionem in concionibus opportune arripiant.

211. Quoniam qui Christum librum vitae legere et imitari nescit, doctrinam quam praedicet, non habet; idcirco concionatoribus iniungitur ne secum multos deferant libros ut illi studeant, in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae Dei. Libri vero nobis necessarii in commune et non in privatum habeantur, cum haec semper mens fuerit dulcissimi nostri Patris Francisci. Attamen

non prohibetur, quominus Superiores aliquos paucos libros ad usum possint concedere fratribus officio necessarios, et in casu extraordinario, etiam numero maiori iis qui, obedientiae merito et absque regularis observantiae detrimento, specialibus studiis statui religioso et sacerdotali congruentibus dant operam.

212. Ut melius paupertas servetur et e cordibus fratrum omnis subinde rerum removeatur affectus et singularitas, decernitur, ut in omnibus nostris Locis adsit conveniens bibliotheca, in qua asserventur Scripturae sacrae, devoti ac sancti Doctores, ceterique necessarii libri tam veteres quam recentes; libri autem vere inutiles, vani et periculosi, qui hominem potius mundanum quam christianum reddunt, in Locis nostris non asserventur, et si adsint, iuxta prudentem dispositionem Superiorum maiorum, prorsus eliminentur.

213. Nulli fratrum, sive Superiori sive subdito, liceat quovis modo, quovisque praetextu distrahere, commodare, eoque minus alienare aut destruere libros bibliothecae assignatos; et qui in hoc deliquerit, ad arbitrium Superiorum maiorum puniatur. Superior tamen provincialis de sui Definitorii consensu, consultis respectivis Guardianis et Discretis, potest libros ad unam bibliothecam pertinentes cum libris alterius commutare, vel superfluos unius bibliothecae alteri indigenti mittere.

214. Decernitur etiam, ut in Curia generali necnon in conventibus in quibus Superiores provinciales resident, imo et in singulis nostris Locis habeatur archivum, in quo omnes respectivae scripturae ac documenta memoria digna, ordinatim reponantur ac diligenter ab eo cui cura fuerit commissa custodiantur.

215. Prohibetur insuper, ne quis audeat per se vel per alium libros gravis momenti edere, sine licentia in scriptis

Ministri generalis; quod intelligendum est praesertim de iis libris, qui divinas Scripturas, sacram theologiam vel seraphicam Regulam spectant: pro opusculis autem minoris momenti, necnon pro publicationibus in diariis vel periodicis, sufficit Superioris provincialis licentia. Superiores vero maiores, servatis ceteris de iure servandis, hanc non tribuant facultatem, nisi prius doctis et idoneis viris eadem opera vel scripta videnda et examinanda commiserint; salva semper Ordinariorum locorum, imo, si casus ferat, ipsius Sedis Apostolicae licentia: si quis autem secus fecerit, iuxta gravitatem culpae severe puniatur. Librorum vero scriptoribus vel editoribus expresse prohibetur, ne aliquid agant quoad rem oeconomicam editionum, absque speciali Superiorum licentia.

216. Omnes demum fratres sancti Patris nostri monitum in suo testamento expressum recolant, quod omnes theologos et qui ministrant nobis sanctissima verba divina debemus honorare et revereri, sicut eos qui ministrant nobis spiritum et vitam.

CAPUT X.

217. Quoniam iuxta doctrinam Christi humilis Salvatoris nostri, Ecclesiae praelati esse non debent sicut gentilium principes, qui in dignitatibus se extollunt, quin potius eo magis sese deprimere debent quo gravius super humeris suis onus sustinent, ac recogitare quod, dum ceteri fratres suo Superiori obedire debent, sibi vicissim incumbit omnibus parere fratribus, necnon iisdem in omnibus necessitatibus, maxime spiritualibus, servire et ministrare, exemplo Christi, qui servire et ministrare venit ac ponere animam suam pro nobis; hortamur idcirco om-

nes Superiores nostros, ut sint omnium fratrum suorum ministri ac servi; quod utique praestabunt, si, iuxta seraphici Patris mentem, subditis suis exemplo ac doctrina spiritum et vitam suppeditaverint.

218. Quapropter decernitur, ut Minister generalis, officii sui tempore, omnes provincias personaliter vel, si fuerit legitime impeditus, per alios visitet, et, si possit, omnia Loca nostra vel saltem universos fratres videre satagat; Superiores vero provinciales minimum semel in anno omnia provinciae Loca et singulos fratres visitent.

219. In canonicis visitationibus perficiendis Superiores maiores ea omnia quae in iure decreta sunt diligenter observent, et praecipue inquirant, utrum statuta in antecedenti visitatione impleta fuerint: quod si culpabiliter neglecta fuisse perspexerint, transgressores pro gravitate culpae corripiant. Nec praetermittant subditos caritative hortari, ut perfecte observent praecepta atque evangelica consilia, Regulam, has Constitutiones, praesertim vero altissimam paupertatem, vitae communis et regularis observantiae fundamentum firmissimum.

220. Completa autem visitatione, Superiores provinciales et Visitatores generales exactam de omnibus relationem ad Ministrum generalem mittant. Superiores vero locales, intra tres menses a visitatione, Superiorem provincialem certiorem reddant de eorum exsecutione, quae in visitatione praescripta fuerint. Idipsum faciant Superiores provinciales intra sex menses quoad Ministrum generalem, occasione visitationis ab eo vel a delegato in provincia peractae. Si quis vero has normas praetermiserit, item qui Visitatorem praesumptuose recusaverit, aut recusandi tractatus habuerit, ad arbitrium respectivi Superioris maioris puniatur.

221. Superiores locales minimum semel in mense, vel pluries iuxta laudabiles provinciarum consuetudines, piam ad omnes de familia exhortationem habeant. Curent praeterea ut saltem bis in mense christianae catechesis habeatur instructio pro fratribus laicis et familiaribus, audientium conditioni accommodata.

222. Ad servandam in nobis vitae religiosae disciplinam, ad Regulae et Constitutionum infractiones impediendas, et harum transgressores corrigendos ac emendandos, praecipimus, ut in omnibus Locis nostris Capitulum culparum praescriptis diebus, videlicet feriis secunda, quarta et sexta habeatur, nisi occurrat sollemnitas aut festum duplicis primae vel secundae classis; et Superiores a praedicto capitulo nonnisi raro dispensent. In audiendis autem culpis fratrum, Superiores magnam adhibeant prudentiam, christianam comitatem et caritatem fraternam, ne id quod est institutum ad augmentum religionis et regularis disciplinae, in destructionem utriusque convertatur.

223. Superiores vero suos subditos errantes et delinquentes, si quos habuerint, paternis mediis et misericorditer ad meliorem frugem reducere satagant. Reminiscantur quae seraphicus Pater noster Franciscus dicere solebat, quod si quempiam qui ceciderit erigere volumus, opus est per misericordiam nosmetipsos inclinare, prout fecit Christus piissimus Salvator quando ad se adducta fuit adultera, minime vero cum aspera rigiditate ius adhibere; quin potius dulcissimum Dei Filium propter nostram salutem de caelis descendisse in terram, in cruce mortuum esse, et erga peccatores vere contritos omnimodam affabilitatem adhibuisse recogitent; unde sancto Petro, quem in terris constituerat universalem Pastorem dixit, ut peccanti ignosceret septuagies septies. Seraphicus Pater in quadam sua epistola scriptum reliquit, se velle ut frater,

quantumcumque peccator fuisset, coram Superiore suo comparens, ab eo sine misericordia non recederet, si eam humiliter implorasset; imo ipsi non imploranti, volebat ut Superior hanc offerret; et si millies coram eo peccator sisteret, volebat ut numquam iratum vel peccati memorem se ostenderet: sed ad illum melius Christo clementissimo Domino nostro lucrifaciendum, eum in veritate et ex toto corde diligeret.

224. Nihilominus quoniam delinquentes impune ferre idem est ac ad omnia vitia portas improbis aperire, eosque ad similes et peiores errores invitare, ita ut impedimento sint bonis ac bene institutis fratribus; Superiores debitis eos plectant poenis, paternis vel canonicis, prout casus ferat. Quia vero, ut ait eximius Doctor sanctus Augustinus, sive punitio, sive venia, semper in eum finem tendunt, ut vita hominis corrigatur, ita in punitionibus, iustitiae vinum oleo misericordiae temperetur, ut disciplina non deficiat nec nimium ob rigorem excedat; sed ita infirmus curetur, ut misericordia et veritas obvient sibi. Et quisque animo contendat miseri fratris famam servare, de cuius peccato nullus fratrum scandalizetur, nec eum effugiat vel abhorreat; quin potius omnes illius misereantur, et quo maiore caritate indiget, eo magis ipsum diligant, quum certum sit, iuxta seraphicum Patrem, quod unusquisque nostrum in multo peiora rueret, nisi Deus sua bonitate et gratia eum praeservaret.

225. Poenae paternae nobis particulares praecipue sunt sequentes: correptio in Capitulo culparum, disciplina in publico refectorio, ieiunium in solo pane et aqua, refectio coram communitate in terra genibus flexis, denegatio licentiae egrediendi e conventu per aliquod temporis spatium, separatio a communitate ad breve tempus, ita ut non possit quis actibus communitatis intervenire neque

cum fratribus sine licentia Superioris colloqui; hae autem poenae a Superiore locali iniungi possunt.

226. Poenae canonicae, quae sive in iure communi sive in his Constitutionibus continentur, a Superiore maiori tantummodo infligantur, servatisque regulis iuris.

227. Si quis tandem frater, vocationis suae immemor, quod Deus avertat, omnia remedia contempserit, et in casus inciderit pro quibus dimissio ab Ordine irroganda est, Superiores ad hoc extremum remedium deveniant, adamussim servatis canonum praescriptis.

228. Caveant quoque Superiores ne suorum subditorum animas obedientialibus praeceptis graviter illigent, nisi necessitate cogantur. Quapropter in Superiores eligantur Patres maturi ac prudentes, qui scientiam habeant et experientiam.

229. Fratres vero subditi, cuiusvis sint conditionis, cum omni humilitate obediant Superioribus suis in omni re quam non cognoverint divinam esse offensionem, et debitam deferant eis, uti sancti Francisci imo Christi Dei nostri vicariis, reverentiam; et quando ab eis reprehensi et correcti fuerint, iuxta laudabilem consuetudinem nostrorum antiquorum humiliumque Patrum, genuflectant, et patienter ferant omnem reprehensionem et correctionem, nec superbe respondeant, quinimo nullo modo audeant Superiori respondere, maxime in Capitulis vel refectorio, nisi prius petierint ac obtinuerint licentiam; et qui secus fecerit, panem cum aqua coram fratribus in terra genuflexus comedat. Et omnes fratres diligenti studio insistant in emendandis suis defectibus, et contendant pravas et malas vincere corruptelas optimis consuetudinibus, frequentibusque virtutum actibus currere per viam perfectionis; ut omne nostrum exercitium redundet in laudem et

gloriam Dei, sitque proximo nostro pacis, aedificationis et salutis occasio.

230. Caveant praeterea omnes fratres, ne a suis Superioribus extra Ordinem nostrum appellent, considerantes nos minime ad religionem litigandi causa venisse, sed ad expianda lacrimis peccata, ad vitam emendandam, crucemque poenitentiae ferendam, Christi vestigiis inhaerendo, qui humanis iudiciis, licet iniustis et impiis, patienter seipsum subiecit; recurrere tamen volentes, ordinatim procedant, id est a Guardiano ad Superiorem provincialem, a Superiore provinciali ad Ministrum generalem, a Ministro generali ad Sanctam Sedem. Si quis autem extra Ordinem contra Superiores recurrerit, praeter poenas, si res ferat, a iure latas graviter puniatur, non exclusa privatione vocis activae et passivae, necnon officiorum Ordinis et perpetua inhabilitate ad illa. Item recurrentes ad personas quavis dignitate eminentes extra Ordinem ad impetrandos pro se vel pro aliis a Superioribus quoscumque favores, iuxta gravitatem culpae puniantur.

231. Ne insuper punitiones, quae a nobis infliguntur, aliunde impediantur vel sinistre diiudicentur, utque insuper contra delinquentes maior nobis sit procedendi libertas, prohibetur quominus secreta Ordinis manifestentur; et qui eadem patefecerit, privetur utraque voce per annum.

232. Quum vanas saeculi notitias quaerere, et amicitias mundanas colere, vitae spirituali gravi sit nocumento, saecularibus autem admirationi et scandalo, quasi servitium Dei fastidiremus et in conventibus corpore potius quam anima degeremus; ideo ut mens nostra iugiter caelestibus intenta cogitationibus, et cor dulcissimo nostro Salvatore sit plenum, praecipitur, quod nullus fratrum litteras scribat absque iusta causa, nec eas mittat vel recipiat nisi per proprium Superiorem. Quinimo studentes,

durante studiorum curriculo, et laici, per sex annos a prima professione, epistolas tradant et recipiant apertas. Superiores vero, salvo eorum stricto iure, religiosorum epistolas ne aperiant, nisi ex rationabili causa aut urgente necessitate. Omnes autem fratres libere possunt mittere litteras, nulli obnoxias inspectioni, ad Sanctam Sedem, eiusque in natione Legatum, ad Cardinalem Protectorem, ad proprios Superiores maiores, ad Superiorem domus forte absentem; et ab istis omnibus litteras item nemini inspiciendas recipere. Si quis subditus litteras Superiorum interceperit, aperuerit vel retardaverit, utraque voce per duos annos privetur et per tres menses in conventu detineatur. Ita etiam graviter puniatur Superior qui ausus fuerit intercipere, aperire aut retardare litteras, quas fratres omnes mittere possunt, nulli obnoxias inspectioni, ad certos Superiores in iure nominatos, vel etiam litteras eorumdem Superiorum ad fratres directas.

233. Qui ad studia ex officio non tenentur, addiscere ne curent, sed super omnia spiritum Domini cum sancta eius operatione adipisci, ad eum orare puro corde, atque humilitatem et patientiam in persecutionibus et infirmitatibus exercere satagant. Omnes autem hortamur, iuxta monitum seraphici Patris nostri in sua Regula datum, ut caveant ab omni superbia et vana gloria, invidia et avaritia, cura et sollicitudine huius saeculi, ab omni detractione et murmuratione de cuiusvis status personis maxime de praelatis, de clericis et religiosis, sed unumquemque iuxta statum eius revereantur, habentes omnes ut patres ac maiores in Christo Iesu Salvatore nostro.

CAPUT XI.

234. Quoniam iuxta sanctorum Ecclesiae Doctorum, et potissimum sancti Hieronymi sententiam, mulierum, licet piarum, familiaritatem servi Dei vitare debent, idcirco fratribus nostris maxime commendamus, ut nonnisi difficulter, et tunc tantummodo quum ab Ordinariis locorum rogati fuerint, monasteriorum aut cuiusvis religiosae domus mulierum spiritualem curam suscipiant; quo in casu Superiores provinciarum dispositiones iuris fideliter servent. Speciatim vero in concedendis confessariis magnam adhibeant cautelam, vigilantiam ac discretionem, ne hoc in regularis observantiae atque spiritus religiosi detrimentum cedat.

235. Quum autem ad veros religiosos et Christi servos pertineat non solum evidentia mala et peccata fugere, verum etiam quidquid possit mali speciem induere; idcirco decernitur, ut fratres quodvis monasterium vel alias domus non adeant, in quibus mulieres religiosae in communi vivunt, absque expressa licentia Superiorum localium; qui talem licentiam non concedant nisi probatis ac maturis fratribus et in casu necessitatis vel magnae pietatis. Quoad ingressum in monialium monasteria, earum confessarii et generatim fratres omnes prae oculis habeant Ecclesiae leges ac Regulae praeceptum.

236. Ut autem mundi corde Deum mentis oculis videamus et ad caelestia aptiores reddamur, fratres non habeant suspecta consortia vel consilia cum mulieribus, neque prolixiora et superflua colloquia; et si cum illis loqui necessitate cogantur, in manifesto loco consistant, ita ut videri possint, et sic ubique Iesu Christi sint bonus odor, puritate, discretione et honestate conversantes, memores

celebris exempli, quod in Chronicis nostris legitur de quodam fratre, qui paleae manipulum comburens ait: « Quem fructum palea refert ex igne, eumdem refert religiosus servus Dei e conversatione mulierum ». Et de sancto Ludovico episcopo fratre nostro Ioannes Papa XXII in bulla canonizationis eius ait, castitatis amorem ab ipsa infantia radices in corde eius tam alte immisisse, ut pro fida huius custodia omnino fugeret mulierum consortia, adeo ut nullo tempore solus cum sola, nisi cum matre et sorore loqueretur; noverat quippe mulierem esse morte amariorem. In vita quoque sancti Augustini legitur, se contubernium familiaritatemque sororis et neptis recusasse dicentem, quod licet mulieres propinquae suspicioni non sint, nihilominus, quae ad eas visitandas aliquando veniunt, aliquam suspicionem parere posse. Demum sanctus Bernardus ait, duo esse quae religiosos contaminant et perdunt, familiaritatem scilicet mulierum et specialitatem ciborum.

237. Decernitur propterea, ut collocutoria iuxta regulas paupertatis et urbanitatis ita ordinata et disposita sint, ut eorum causa populo admirationem et scandalum non praebeamus; nec sacristias aut alia loca directe vel indirecte divino cultui dicata vice collocutorii fungi umquam permittatur. Superiores locales autem attente vigilent, ne fratres nimis frequenter aut tempore divini officii, sacrarum functionum et serotino collocutoria adeant.

238. Recordentur quoque fratres, non solum cum mulieribus, sed etiam cum viris saecularibus, rara et moderata nobis conversatione utendum esse, quoniam indiscreta eorum familiaritas et inutilis collocutio nobis nocent, spiritualique profectui grave impedimentum afferunt.

239. In domibus nostris canonice constitutis, etiam non formatis, servetur clausura papalis; nec sub quovis prae-

textu intra clausuram introducantur vel admittantur mulieres cuiuscumque aetatis, generis aut conditionis sub poena, tum pro ipsis tum pro easdem introducentibus vel admittentibus, incurrendi censuras aliasque poenas in iure statutas.

CAPUT XII.

240. Quoniam infidelium conversio nostro seraphico Patri maxime cordi erat, hinc ad Dei gloriam et eorum salutem, iuxta Regulam decernitur, ut si qui fratres Christi benedicti amore ac fidei catholicae zelo succensi, voluerint ex divina inspiratione, eis praedicatum, infideles adire, ad Ministrum generalem per Superiores provinciales recurrant; Minister autem generalis, quos idoneos iudicaverit, servatis de iure servandis, ad missiones mittat. Subditi autem ne temere ad tam difficile ac periculosum opus aptos sese diiudicare praesumant, quinimo omni cum timore et humilitate huiusmodi desiderium ad iudicium Superiorum suorum deferant. Neque Superiores ob fratrum paucitatem, eos mittere desistant, sed omnem suam sollicitudinem et cogitatum iactantes super eum cui iugis cura est de nobis, se in omnibus gerant prout sibi per Dei spiritum suggestum fuerit, et cuncta cum caritate, quae nihil agit perperam, disponant.

241. Omnes autem missiones Ordini concreditae cunctique missionarii, qui in ipsis adlaborant, Ministro generali subiecti sint sub immediata dependentia sacrae Congregationis missionibus praepositae.

242. Fratres sive Superiores sive subditi qui in missionibus versantur, fideliter servent leges ecclesiasticas, necnon ordinationes Superiorum Ordinis, quae ad ipsos spectant.

243. Ne autem alios ad Apostolicae Sedis obedientiam convertere quaerentes, nosmetipsos negligamus et ut in hoc sanctam Patris nostri omnino catholici mentem sectemur, qui probe sciens quanti omnium, maxime religiosorum, intersit semper Sanctae Sedi subesse, voluit etiam ut unum de Cardinalibus pro domino haberemus; idcirco praecipitur, ut, necessitate occurrente, Procurator generalis, cum documento a Ministro generali eiusque Definitorio subscripto, ad Summi Pontificis pedes accedat, atque humiliter unum ex sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus in Protectorem postulet.

244. Quum fratres Minores sancti Francisci, integram prae ceteris semper ac illibatam iuxta sacrum Evangelium sanctamque Romanam Ecclesiam habere fidem, eamque firmiter tenere et sincere praedicare, atque pro illius defensione ad proprium sanguinem effundendum parati esse debeant, cunctis fratribus praecipitur, ut omni humilitate hoc inaestimabile ac caeleste donum, cogitando et sentiendo semper et in omnibus cum Ecclesia, servare studeant. Quapropter omnes Superiores nostri, Lectores, concionatores, confessarii aliique, uti in iure statutum est, antequam ineant officium aut facultate donentur suum munus exercendi, fidei professionem emittant iuxta formulam a Sede Apostolica probatam.

245. Ut autem una cum sana doctrina pretiosus fidei thesaurus servetur, Superioribus provincialibus et localibus expresse iniungitur, ut perquam diligenter invigilent super libris, publicationibus, diariis ac periodicis quae in Loca nostra admittuntur; et absque humano respectu puniant ea legentes, quae spiritum mundanum et profanum redolent; librosque legere prohibeant, in quibus doctrinae periculosae, suspectae aut noxiae novitatis traduntur, quaeque, ut experientia constat, mentem et cor depra-

vant, et a Christi eiusque Ecclesiae doctrina sensim sine sensu avertunt.

246. Quia vero impossibile est leges ac statuta sancire pro omnibus casibus particularibus, qui contingere possint, omnes fratres nostros in caritate Christi hortamur, ut in cunctis operationibus suis sacrum Evangelium, Regulam Deo promissam, sanctas ac laudabiles consuetudines, et Sanctorum exempla ante oculos habeant, omnes cogitationes, verba et operationes ad honorem et gloriam Dei proximorumque salutem dirigendo; et ita Spiritus Sanctus eos de omnibus erudiet.

247. Ad haec, quemadmodum Salvator noster primum coepit operari, deinde alios docere, ita omnes Superiores nostri sese primos in his servandis Constitutionibus exbibeant, ac deinde omni sancto et efficaci ausu cunctos subditos suos ad eas inviolabiliter observanda inducant; et si forsan nonnulla in principio aliquantulum difficilia apparerent, sancta consuetudine facilia ac delectabilia fient: ut vero in fratrum mentibus melius imprimantur, Superiores locales curent, ut omni semestri ad mensam legantur.

248. Quamvis autem per has Constitutiones non intendamus sub quovis peccato fratres obligare, nisi in quantum nos Deus, Ecclesia et Regula obligant, nihilominus volumus et praecipimus, ut earum transgressores severe puniantur. Et si Superiores locales in iis observandis, vel in procurando ut serventur, negligentes fuerint, puniantur ipsi gravius a Superioribus provincialibus, hi vero a Ministro generali.

249. Et quia praesentes Constitutiones maxima cum diligentia fuerunt conscriptae, et nunc diligentia pari, de consensu totius Capituli generalis Romae congregati, revisae atque digestae; iniungimus, ne mutentur absque

eiusdem Capituli generalis consensu et Sanctae Sedis licentia, quibus earumdem permanens et authentica interpretatio reservatur. Itidem universos Patres et fratres praesentes et futuros cum nostris priscis Patribus exhortamur, ne in Capitulis quidem generalibus has Constitutiones sine gravi necessitate mutent; experientia siquidem comprobatum est, nimias Constitutionum mutationes gravi fuisse Ordinibus detrimento. Neque Constitutiones provinciales condantur, sed in casibus particularibus, si contigerint, a Capitulo vel Definitorio generali provideatur; hae vero Constitutiones firmae remaneant, ad quarum normam universus Ordo noster vivere et sancta uniformitate moderari debeat.

250. Et quoniam seraphicus Pater noster, cum esset in mortis articulo, Regulae vere zelantibus et observatoribus simul cum paterna copiosam sanctissimae Trinitatis benedictionem legavit; ideo nos omni negligentia abiecta, ferventi sinceroque amore, perfectionem in ipsa Regula et Ordine nostro nobis demonstratam cuncti consequi satagamus. Et fratres praecaveant summopere has transgredi Constitutiones, tamquam nullo sub peccato obligantes; sed cuius sint spiritus agnoscentes, eas inviolabiliter observent, ut gratia addatur ipsorum capiti et per sancta huiusmodi obsequia, divinam promereantur clementiam, conformesque sint Filio Dei, qui legibus a se latis nequaquam obstrictus, eas nihilominus pro omnium salute voluit observare. Sublimem igitur religionis statum conservent, multorumque sint proximis causa bonorum; probe scientes, ad bonos et fideles servos pertinere, ut non solum quae ab heris et dominis minaciter sibi praecipiuntur adimpleant, sed et ipsis in aliis permultis placeant.

251. Recordemur, Patres et fratres carissimi, saepe saepius sacrum illud ac memorabile thema, super quo sera-

phicus Pater noster sollemnissimam ad magnam illam fratrum multitudinem habuit concionem, dicens: Magna Deo promisimus, sed maiora a Deo promissa sunt nobis; servemus has Constitutiones, et quidquid promisimus, et ardenti desiderio ad illa bona, quae nobis promissa sunt aspiremus. Huius mundi voluptates breves sunt, et infernalis poena, quam earum sectatores obtinent, est perpetua; dolores, quos amore Christi sustinemus, et poenitentia, quam propter illum agimus, exiguum tempus duratura erunt; sed gloria dein, quam nobis propter haec Deus retribuet, sine fine erit permansura. Multi sunt vocati ad aeternae vitae regnum, sed pauci electi, quia paucissimi Christum in cordis veritate sequuntur: sed in fine dabit Deus unicuique suorum operum retributionem poenam vel gloriam.

252. Eapropter haec exsequentes, oculos erigamus in Redemptorem nostrum, ita ut eius cognito beneplacito, illi placere contendamus, nedum quidem has Constitutiones non contemnendo, nam earum contemptus esset grave peccatum, sed etiam illius amore omnem negligentiam in his observandis fugiendo. Haec siquidem observantia nobis adiumento erit, ut non solum Regulam, sed et divinam legem, ac evangelica consilia adimpleamus. In laboribus abundabit per Iesum Christum consolatio nostra; omnia vero poterimus in eo, qui nos confortat; quinimo, in omni re dabit nobis intellectum, qui est Dei sapientia, et dat omnibus affluenter et non improperat.

253. Christus igitur, qui lumen est et exspectatio gentium, finis legis, salutare Dei, Pater futuri saeculi, Verbum et virtus omnia portans, et spes denique nostra, in quo omnia possibilia sunt, suavia et levia, et cui cognita est fragilitas nostra, nobis non solum ad sua exsequenda mandata et consilia vires subministrabit, sed caelestium

etiam donorum nos tanta copia et abundantia cumulabit ut, superatis omnibus impedimentis, maxima cordis laetitia ac simplicitate ipsum sequi et imitari valeamus, visibilia haec et temporalia prorsus despicientes atque ad ea, quae caelestia et aeterna sunt, adspirantes.

254. In Christo, qui est Deus et homo, lux vera, splendor gloriae et candor lucis aeternae, speculum sine macula et imago bonitatis Dei, qui constitutus est ab aeterno Patre iudex, legislator et Salvator hominum; cui Pater et Spiritus Sanctus testimonium perhibuerunt, et in quo sunt nostra merita, exempla vivendi, auxilia, favores et praemia; qui factus nobis a Deo sapientia et iustitia, sanctificatio ac redemptio, in ipso sit omnis cogitatio, meditatio et imitatio nostra.

255. Christo denique, qui cum Patre et Spiritu Sancto coaeternus et consubstantialis, coaequalis et unus Deus vivit et regnat, sit sempiterna laus, honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.

INDEX ALPHABETICUS

NUMERI PARAGRAPHOS INDICANT

Abstinentia a carnibus, 69.

Adnotatio emissae professionis, 29.

Advenae: quid accedentes ad Locum agere debent, 82; excipiendi cum caritate, 83.

Aetas: ad novitiatum, 7-6°; magistri novitiorum eiusque socii, 16; Superiorum maiorum, 136.

Alienatio bonorum a Superioribus quomodo facienda, 87.

Amici spirituales, 88.

Animalia non habenda ad equitandum, 84.

Anniversarium pro omnibus fratribus defunctis, 63.

Apostasia cordis, 46.

Apostata a religione: poenae, 42, 44; quomodo recipiendus, 44.

Appellatio: quomodo facienda, 230.

Arbores: non caedendae, 112.

Archivista generalis, 176.

Archivum: habendum in singulis Locis, 214.

Assistentes Commissarii provincialis, 130.

Aurum vel **argentum:** in quibus rebus ad cultum divinum spectantibus permittitur, 104.

Barba deferenda, 40.

Benedictio, a Superiore petenda in egressu et regressu, 79.

Bibliotheca, 212.

Bona temporalia: a novitiis cedenda, 11; ante professionem sollemnem renuntianda, 26; a Superioribus sub quibus cautelis alienanda, 87.

Bonaventura (S.): eius doctrina, 191.

Braccae, 36.

Breviarium, 49.

Caeremoniale, 50.

Campana, 102.

Candelabra, 104.

Candidati ad novitiatum: eorum requisita, 7; exercitia spiritualia ante vestitionem, 10; ad statum laicale, *ibid.*

Cantus ecclesiasticus: eius studium, 186,

Capitulum *locale:* pro admittendis novitiis ad professionem,

22, 23; pro admittendis ad professionem sollemnem, 25; pro electione Discreti Capituli provincialis, 139; pro electione Discreti conventus, 157.

Capitulum *generale:* quando celebrandum, 161; quomodo, 162-164; quid agendum in eo praeter electiones, 174.

Capitulum *provinciale:* quando celebrandum, 144; quomodo, 146; quid agendum in eo praeter electiones, 174; in quibus negotiis eius consensus requiritur, 63, 98, 99 (vide **Custodes generales, Definitores, Discretus, Electio, Minister generalis, Minister provincialis, Superiores**).

Capitulum culparum, 222.

Caputium, 36.

Cardinalis Protector: quomodo postulandus, 243; suffragia in eius obitu, 64; libere ad eum epistolae mitti possunt, 232.

Caritas inter fratres servanda, 78, 113.

Casus conscientiae, 200.

Cellae: earum forma, 106.

Censura librorum, 215.

Cessio bonorum temporalium, 11.

Chorus: omnes in eum conveniant, 51, 53; silentium in eo servandum, 67.

Cingulum, 36.

Clausura, 239.

Claves non habendae, 611.

Collegium: *internationale*, 201.

Collegium *seraphicum* in qualibet Provincia habendum, 182.

Collocutoria, 137.

Commemoratio omnium Fratrum defunctorum, 63.

Commissarii provinciales, 130.

Communio Eucharistica, 56.

Concionatores: quinam instituendi, 198; quomodo instituendi, 197; fidei professionem emittant, 244; ad chorum conveniant, 206; quid observare debeant in munere exercendo, 203 et seq.; contrafacientes ab officio suspendantur, 202, 207.

Confessarii: pro novitiis, 21; pro fratribus, 126; pro saecularibus, 123; quid attendere debeant in munere exercendo, 124; fidei professionem emittant, 244.

Confessio sacramentalis, 127, 128.

Consecratio Ss. Cordi Iesu, 58.

Consortia suspecta, 236.

Constitutiones *Ordinis:* ab omnibus servandae, 250, 252; in primis a Superioribus, 247; publice legendae, *ibid.*; earum transgressores puniendi, 248; earum interpretatio, 173; dispensatio, *ibid.*; non mutandae nisi a Capitulo etc., 249.

— *provinciales*: ne condantur, 249.

Consuetudines: observandae, 246.

Conventus: quinam intelliguntur, 131 (vide **Locus**).

Conversatio: cum saecularibus, 238; cum mulieribus, 236, 237.
Corona B. Mariae Virg.: deferenda, 39.
Correctio: *fraterna*, 78.
— *paterna*, 223.
Culpa: dicenda a neo-professis, 31; ab omnibus fratribus, 222.
Custodes generales: electio et officium, 151.

Debita: si oporteat, quomodo a Superioribus contrahenda, 87.
Definitores generales: electio, 162, 163; officium, 173; emittant professionem fidei et iuramentum, 178, 244; vocem habent in Capitulis propriae Provinciae, 145; suffragia in eorum obitu, 63.
Definitores provinciales: electio, 146, 150; confirmationem postulent electionis Ministri provincialis, 147; emittant professionem fidei et iuramentum, 178, 244.
Definitorium generale: eius consensus requiritur: pro admissione ad novitiatum professorum alterius religionis, 8; pro designatione conventus novitiatus, 14; pro rehabilitatione ad officia quoad incorporatos alienae provinciae, 47; item quoad exclaustratos et saecularizatos, 48; pro erectione novi Loci, 98; pro derelictione Loci, 99; pro fabricatione conventus contra formam praescriptam, 106; pro ductione conventus ad formam ampliorem, 111; pro definitione terminorum provinciae ad stipem quaeritandam, 119; pro admissione secundi Custodis in Capitulo generali, 151; item pro admissione primi Definitoris provincialis, 152; pro electione novi Definitoris provincialis, 153; pro electione Superiorum provincialium extra Capitulum, 130, 154; pro expeditione apud Sanctam Sedem negotiorum quae Ordinem vel totam provinciam respiciunt, 166; pro electione Procuratoris vel Vice-procuratoris extra Capitulum, 171; item pro electione novi Definitoris generalis, 172; pro interpretatione, dispensatione Constitutionum, etc., 173; pro praeparandis negotiis quae in Capitulo generali tractari debent, 174; pro institutione Postulatoris generalis, 175; pro nominandis officialibus Curiae generalis, 176; pro mittendis studentibus in aliam provinciam, 183; pro approbatione vel mutatione rationis studiorum, 187; pro postulando Cardinali Ordinis Protectore, 243.
Definitorium provinciale; eius *consilium* requiritur: pro ad-

missione candidatorum ad novitiatum, 7,

Definitorium provinciale: eius *consensus* requiritur: pro designatione conventus novitiatus, 14; pro electione Magistri novitiorum, 16; pro electione Directoris clericorum, 31; pro erectione novi Loci extra Capitulum, 98; item pro derelictione Loci, 99; pro electione Fabriceriorum, 107; pro electione situs et approbatione exemplarium ad fabricandum, *ibid.*; pro quavis notabili modificatione fabricae, 111; pro definitione terminorum conventuum ad stipem quaeritandam, 119; in praesentatione novi Definitoris provincialis, 153; pro institutione et collocatione Guardianorum, 155; in nominatione Praesidum et Vicariorum, atque in constitutione familiarum, 156; in deputatione unius Discreti Locorum, 157; in admissione Vicarii conventus in Capitulo provinciali, 159; pro praeparandis negotiis quae in Capitulo provinciali tractari debent, 174; in examine clericorum quoad studia, 188; in examine sacerdotum quoad officium praedicationis, 197; in praesentatione studentium pro admissione in Collegio internationali Urbis, 201; in designatione quarumdam praedicationum, 203; in translatione librorum de una ad aliam bibliothecam, 213.

Defuncti (vide **Suffragia, Sepultura**).

Diaria: quoad publicationes in ipsis, 215; quoad eorum admissionem in Locis, 245.

Dimissio: novitiorum, 22; professorum a votis simplicibus, 33; professorum a votis sollemnibus, 227.

Director: clericorum, 31, 184; laicorum neo-professorum, 31.

Disciplina: facienda a neo-professis, 31; ab omnibus fratribus, 68.

Discretus *conventus:* 111, 157, 213.

Discretus *Capituli provincialis:* 139 et seq.

Doctrina christiana: tradenda fratribus laicis et familiaribus, 221; ad novitios laicos, 20.

Dona: tradenda Superiori, 114; saecularibus non elargienda, 115.

Dormire cum habitu, 41.

Dormitorium: silentium in eo servandum, 67; eius ambulacri latitudo, 106.

Ecclesiae: quales esse debeant, 102; silentium in eis servandum, 67.

Electio *in genere:* quomodo peragenda, 131-135.

— *Custodum generalium,* 151.

— *Definitorum generalium,* 162, 163.

— *Definitorum provincialium,* 146, 149.

Electio: *Discreti Capituli provincialis,* 139-142.
— *Ministri generalis,* 162, 165.
— *Ministri provincialis,* 147, 148.
— *Procuratoris generalis,* 164, 165.
Electores: quomodo se gerere et quid cavere debeant, 132; iuramentum praestent, 136.
Eleemosynae: in communem usum referendae 114; pro Missis, 87; pro praedicatione, 207.
Eligendi: aetas, 136; qualitates, 137, 138.
Eloquentia sacra: eius studium, 186, 196.
Epistolae: mittendae et recipiendae per Superiorem, 232; ad quos libere mitti possunt, etc., *ibid.*
Equitatio: absque necessitate prohibita, 84.
Eucharistia: quomodo asservanda et visitanda, 57.
Evangelium: lectio ad mensam, 1.
Examen: recipiendorum ad novitiatum, 7; studentium, 188; praedicatorum, 197; iuniorum sacerdotum, 199.
Exclaustrati: conditiones pro reditu, 48.
Exercitia spiritualia: a candidatis ante vestitionem, 10; ab omnibus fratribus, 61.
Expositio Regulae: facienda novitiis, 17; studentibus, 186.
Fabricarii: eorum electio et officium, 107, 108, 111.
Familiaritates (vide **Suspecta consortia**).
Fenestrae: earum forma, 106.
Fratres laici: specialis disciplina neo-professorum, 31; quando in chorum convenire debent, 53; sacram Communionem frequenter recipiant, 56; quoad laborem, 92; quoad quaestuationem, 79; quoad vocem activam in electionibus, 140; instructionem recipiant de doctrina christiana, 221; quoad litteras mittendas vel recipiendas, 232.
Fugitivi: quibus poenis plectuntur, 43; quando et quomodo recipiendi, 44; quinam etiam uti tales habendi, 45.

Generalis (vide **Minister**).
Guardianus: quisnam eligi nequit, 137; quomodo instituendus, 155; duratio officii, 158 (vide **Superiores**).

Habitus: forma, materia et color, 34-37; semper deferendus, 37, 41; saecularibus non concedendus, 37.
Historia Ecclesiae et Ordinis: eius studium, 186.
Hospites: litteras obedientiales ostendant, 82; quomodo excipiendi, 83.
Hospitia, 131.

Ieiunia, 69, 70.
Immaculata Conceptio B. M. V.: commendatur Missa votiva,

58; ieiunium et abstinentia in vigilia, 69.

Incorporatus alienae provinciae, 47.

Infirmi: non recipiendi, 7-4°; professi a votis simplicibus non dimittendi, 33; quomodo curandi, 121, 122.

Inhabiles ad officia: apostatae, 44; alienae provinciae incorporati si ad propriam redierint, 47; exclaustrati et saecularizati, 48.

Innocentia baptismalis: restituitur in professione religiosa, 27.

Institutio: novitiorum, 17; neoprofessorum, 31, 32.

Instructio de doctrina christiana: ad novitios laicos, 20; ad professos laicos, 221.

Interpretatio: Regulae, 3; Constitutionum, 173.

Itinerantes: litteras obedientiales habeant, 76, 77; quomodo incedendum, 78, 80, 81, 84; quid in adventu ad Loca nostra, 82; quoad confessionem, 127.

Iuramentum: ante electionem Superiorum maiorum, 136; a Superioribus generalibus et provincialibus, 178; ab Officialibus Curiae generalis et a Secretario provinciali, 179.

Ius canonicum: eius studium, 186.

Labor: praescriptus, 92, 95.

Laici (vide **Fratres laici**).

Lectio: ad mensam, 72; Regulae et testamenti S. Patris Francisci, 2; vitae eiusdem, 5.

Lectores: quot instituendi, 191; quinam instituendi, 192; professionem fidei emittant, 244; obligationes, 193; quinam removendi, 194.

Lectus: qualis esse debeat, 41.

Legata: quae non recipienda, 86.

Libri: in commune habendi, 211; non distrahendi e bibliotheca, etc., 213; inutiles etc. non asservandi, 212; examinandi antequam edantur, 215; in textum pro studentibus, 187.

Litaniae, 59.

Litterae obedientiales: pro discessu e Loco, 45; pro itinerantibus, 76, 77 (vide **Epistolae**).

Liturgia: eius studium, 186.

Locus: requisita ad ipsum erigendum, 98; ad relinquendum, 99; normae pro aedificatione, 101, 106-111.

Magister novitiorum: institutio, 16; obligationes et iura, 17, 18; circa confessiones novitiorum, 21; relatio de novitiis, 22.

Matutinum: media nocte persolvatur, 52.

Medicina: non exercenda extra Ordinem, 95.

Mensa: quoad cibos, 70, 71; quoad silentium, 67; quoad lectionem 1, 2, 72.

Minister generalis: suprema potestas in Ordine, 129; eius electio, 162; aetas, 136; duratio officii, 165; in absentia ab Urbe, 167; in vacatione officii, 169; vocem habet in omnibus Capitulis, 145; dare potest licentiam professo votorum simplicium mutandi dispositionem bonorum, 11; quoad anticipationem vel posticipationem Capitulorum provincialium, 144; quoad electionem Superiorum provincialium extra Capitulum, 154; quoad receptionem studentium in collegium internationale etc., 201; quoad missionarios ad exteros, 240; ipsi reservatur confirmatio Ministrorum provincialium, etc., 149, 168; concessio litterarum praedicationis, *ibid.*; quoad visitationem Provinciarum, 218; suffragia in eius obitu, 63.

Ministri provinciales: quoad postulantes habitum, 7; quoad novitiorum dimissionem, 22; quoad dilationem professionis sollemnis, 24; vota exquirant ante eamdem professionem, 25; quoad approbationem et deputationem confessariorum, 123, 126, 234; concionatorum, 202, 203; quoad visitationem canonicam, 218 et seq.; suffragia in eius obitu, 63.

Missa: quomodo celebranda, 54; quomodo eidem assistendum, 55; quoad eleemosynam pro celebratione, 87.

— *conventualis*: quotidie audienda, 55.

— *votiva* immaculatae Conceptionis, 58.

Missionarii: quales et quomodo mittendi, 240; subsint Ministro generali, 241; leges quae ad ipsos spectant servent, 242.

Monasteria mulierum: eorum cura non suscipienda, 234; neque illa adeunda, 235.

Muccinia, 36.

Mulieres: earum familiaritas cavenda, 236; intra clausuram non introducantur, 239.

Mutatio fratrum: ne fiat proxime ante Capitulum provinciale, 143.

Novitiatus: eius domus constitutio, 14; per annum perduret, 15; huius temporis prorogatio, 22, 24; nihil exigendum pro expensis, 12; peragendus ab aliis religiosis, 8.

Novitii: inquisitiones et requisita ad receptionem, 7, 8; probatio et exercitia ante vestitionem, 9; eorum institutio, 17, 32; non communicent cum professis, 19; non stu-

diis etc. vacent 20; quoad confessionem, 21; quoad votationes, 22; quoad dimissionem, *ibid.*; exercitia spiritualia peragenda ante professionem, 27; cessio bonorum, 11; suffragia in novitii obitu, 63.

Obedientia: Romano Pontifici, 6; Superioribus Ordinis, 129, 229.
Observantia: Regulae, 3; Testamenti S. Patris, 4; Constitutionum, 250, 252.
Officiales Curiae generalis: institutio, 176; iuramentum, 179; privilegia, 141, 177.
Officia pro defunctis: a fratribus laicis dicenda, 53.
Officium divinum: quomodo persolvendum, 51, 52.
Officium parvum B. Mariae Virginis, 58.
Oratio mentalis, 59, 60
Oratorium valetudinarii, 109.
Otium: vitandum, 96.

Pallium: eius forma, 36.
Panni: novitiorum servandi usque ad professionem, 13; quibus indui debent fratres, 34; ubinam asservandi, 38.
Paramenta sacra, 104.
Patrologia: eius studium, 186.
Paupertas: vestium, 34, 36; in fabricis, 101, 102, 106, 108; in rebus ad nostrum usum, 105; in sacra supellectili, 104, 105.
Pecunia: receptio et usus prohibetur, 85-87; recursus ad eam, 88.
Pharmacopola: munus non exercendum extra Ordinem, 95.
Pileum: non deferendum, 39.
Pileolus: quibus permittitur, 39.
Poenae *canonicae:* in genere, 226; contra Superiores delinquentes circa admissionem ad habitum vel professionem, 30; in apostatas, 42; in fugitivos, 43; in negligentes divinum officium, 51; in violantes ieiunium vel abstinentiam, 69; in adulterantes, etc., litteras obedientiales, 77; in recipientes legata, 86; in proprietarios vel renuentes observare vitam communem, 114, 117; contra procurantes suffragia in electionibus, 132; in studentes negligentes, 190; in concionatores indignos, 207; in distrahentes libros, etc., 213; in libros edentes absque licentia, 215; in recusantes, etc. Visitatorem, 220; contra recurrentes extra Ordinem, 230; contra revelantes secreta Ordinis, 231; contra aperientes, etc. litteras, 232.
Poenae *paternae:* 225; in violantes silentium regulare, 67; in eos qui Superiori superbe respondent, 229.
Postulantes: eorum requisita, 7.
Postulator generalis: institutio, 175.

Postulatus: pro fratribus laicis, 10; nihil eo tempore pro expensis exigendum, 12.
Praecepta obedientialia: ne dentur absque necessitate, 228.
Praedicatores (vide **Concionatores**).
Praesides hospitiorum, 144, 156.
Preces: pro quibus speciatim fundendae, 62.
Privilegia: quae Regulam relaxant perpetuo renuntiantur, 3.
Procurator generalis: electio, 164; duratio officii, 165; eius munera, 166, 167, 169; durante absentia ab Urbe et vacatione officii, 171; suffragia in eius obitu, 63.
Professio fidei: a quibus emittenda, 244.
Professio *votorum simplicium*: emissio et prorogatio, 24; ritus, 28; documentum, 29.
— *sollemnium*: emissio et prorogatio, 24; quid ad eam praemittendum, 25-27; ritus, 28; documentum, 29; significanda parocho baptismi profitentis, *ibid.*; exclusi ab ea emittenda, 33.
Proprietarius: quomodo puniendus, 117.
Provincia: erectio, 130.
Provincialis (vide **Minister**).
Provisio rerum necessariarum, 118.

Quadragesima « Benedictae », 69.
Quaestuarii, 92, 119.

Ratio studiorum, 187.
Recursus: ad amicos spirituales, 88; ad Superiores ordinatim faciendus, 230; extra Ordinem prohibitus, *ibid.*
Refectiones: extra tempus et locum non sumendae, 74, 82.
Refectorium: eius forma, 106.
Regula: legenda in refectorio, 2; observanda, 3, 250; expositio, 17, 186.
Relatio: Magistri de novitiis, 22; Superioris localis ad Superiorem provincialem, 220; Superiorum provincialium ac Visitatorum ad Ministrum generalem, *ibid.*; Postulatoris generalis ad Definitorium generale, 175.
Religiosi: postulantes admissionem ad Ordinem, 8; circa eorum professionem, 24; eorum institutio, 32.
Renuntiatio bonorum: ante professionem sollemnem, 26.
Romanus Pontifex: obedientia ipsi debita, 6; pro ipso orandum, 62; suffragia in eius obitu, 64.
Rosarium marianum, 58.

Sacerdotes: sacro ministerio incumbant, 92; post curriculum studiorum quotannis per quinquennium examinentur, 199.
Sacramenta: infirmis tempestive ministranda, 122.

Sacristiae: earum forma, 103; silentium in eis servandum, 67.
Saeculares: non admittendi in refectorio ad mensam, 73; conversatio cum ipsis moderata, 238.
Saecularizati: conditiones pro reditu, 48.
Salutationes: quibus fratres uti debent, 80.
Sandalia, 39.
Scriptura sacra: legenda ad mensam, 1; eius studium, 186.
Scrutinium: pro novitiis, 22; pro professis simplicibus, 25; in electionibus, 134, 135, 155, 171, 172; in examine studentium, 188; pro approbatione ad officium concionatoris, 197.
Secreta Ordinis: non revelanda, 231.
Secretarius generalis: institutio, 176; iuramentum, 179; vocalis in Capitulo generali, 161.
Secretarius provincialis: quoad electionem Discreti, 141, 157; vocalis in Capitulo provinciali, 144; iuramentum, 179.
Seminarium seraphicum, 182.
Sepultura fratrum, 65.
Sigillum: habendum in quolibet Loco, 76.
Silentium: evangelicum, 66; regulare, 67.
Socius: Magistri novitiorum, 16; in itineribus, 78; Superiorum maiorum, 141.
Solutio casuum, 200.
Studentes: ubinam collocandi, 183; a quo dirigendi, 184; quomodo studiis vacare debent, 185, 189; eorum examina, 188, 197; obligationes, 190; quoad epistolas mittendas, etc., 232.
Suffragia: pro defunctis fratribus, 63; pro Romano Pontifice et Cardinali Protectore, 64.
Supellex sacra, 103, 104.
Superflua: non admittenda et non recipienda, 89, 105, 120.
Superiores: promoveant observantiam Regulae, Constitutionum, etc., 247; fratres de necessariis provideant, 114; curam habeant infirmorum, 121, 122; cautelas servent in recipiendis eleemosynis Missarum, 87; vigilantiam adhibeant in sacerdotes celebrantes, 54; in confessarios, 125; item circa formam etc. habitus, 37; circa frequentiam collocutorii, 237; circa diaria etc. quae in Locum admittuntur, 245; paterne corrigant subditos delinquentes, 223, 225; quoad praecepta obedientialia, 228; quoad lectionem epistolarum subditorum, 232.
— *maiores* (Vide **Minister generalis** et **provincialis**).
Suppressio Loci, 99.
Suspecta consortia: vitanda, 236

Tertius Ordo: a Superioribus et praedicatoribus fovendus, 210.
Testamentum: condi potest a novitiis, 11.
Testamentum S. Patris: legendum ad mensam, 2; eius observantia, 4.
Testes professionis religiosae, 29.
Theologia: eius studium, 186.
Thomas Aquinas (S.): eius doctrina, 191.
Tonsura: 40.
Transitus: religiosi ad nostrum Ordinem, 8; de una ad aliam provinciam, 47.
Tunica, 35, 36.

Uniformitas: habitus, 37; caeremoniarum, 50.
Universitates: non adeundae sine licentia Ministri generalis, 201.

Vacatio officiorum: Ministri generalis, 169; Procuratoris generalis, 171; Definitoris generalis, 172; Ministri provincialis, 152; Definitoris provincialis, 153; Guardiani, 159.
Vacationes a schola, 194.
Valetudinarium, 109.
Vestimenta (vide **Panni**).
Viae Crucis exercitium, 58.
Via ferrea: conditiones pro eius usu, 84.
Vicarius *generalis*, 169, 170.
— *localis*, 156, 159.
— *provincialis*, 152.
Visitatio canonica, 218; quid in ea observandum, 219; quid post ipsam gerendum, 220.
Visitatores generales: institutio, 168.
Vita communis; ubique et ab omnibus servanda, 114.
Vocales: in electione Discreti Capituli, 139-142; in Capitulo provinciali, 144; in Capitulo generali, 161.
Votationes: pro novitiis, 22; quinam interesse possunt, 23; pro professis votorum simplicium, 25.
Vox *activa*: pro electione Discreti Capituli provincialis, 139-141; pro electione Discreti conventus, 157; in Capitulo provinciali, 144, 145, 159, 177; in Capitulo generali, 152, 161.
Vox *passiva*: in electionibus quibuscumque, 138; in electione Discreti, 139; in Capitulo provinciali quoad Definitores, 146, 150; quoad Ministrum provincialem, 148; quoad Custodes generales, 151; in Capitulo generali quoad Definitores, 162, 163; quoad Ministrum generalem et Procuratorem, 165.